BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
148
F
52
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

VITAE
ITALORUM

DOCTRINA EXCELLENTIUM

QUI SAECULIS XVII. ET XVIII. FLORUERUNT

VOLUMEN IX.

AUCTORE

ANGELO FABRONIO

ACADEMIAE PISANAE CURATORE

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III
NAPOLI

PISIS MDCCLXXXII.
EXCUDEBAT JACOBUS GRATIOLIUS
SUPERIORIBUS ANNUENTIBUS

Digitized by Google

Digitized by Google

POTENTISSIMO ET CLEMENTISSIMO

GUSTAVO III.

SVECORUM GOTHORUM

VANDALORUMQUE REGI

NORVEGIAE HAEREDI

ET

DUCI SLESVICO-HOLSATIAE

&c. &c. &c.

ANGELUS FABRONIUS

SI quis eſt, qui miretur me de Italis doctrina excellentibus ſcribentem apud Svecos requirere operis

Digitized by Google

Patronum, is ſciat hac praeſertim de cauſſa id a me fieri, quod non unus inter Majores Tuos, Potentiſſime Rex, extiterit, qui plurium illorum induſtriae non ſolum faverit, ſed etiam ſtimulos addiderit, qui vel ignaviſſimum potuiſſent commovere. Quid memorem Guſtavum Principem excellentis cujuſdam virtutis ac ſingularis, qui tanta in opinione habuiſſe narratur Galilaei doctrinam, ut ſuorum quoſdam inter auditores illius eſſe voluerit? Quid Chriſtinam, cui apud nos commoranti nihil tam magnificum & tam regium videbatur, quam aut de nocte cum aſtronomiae cultoribus eximiis evigilare, aut adeſſe naturae interpretibus, ſeque erudito pulvere aſpergere, aut in terrae abdita cum

antiquitatis inveſtigatoribus penetrare, aut in Muſarum choro cum ſummis poetis verſari, aut Themidis oracula cum ejus nobilioribus antiſtitibus perſcrutari? Omnino difficile eſſet enumerare, quot viri, quanta ſcientia, quantaque in ſtudiis varietate & copia fuerint, qui ejus aut vocibus aut exemplo aut beneficiis ſe ad praeclara ſuſcipienda commotos fuiſſe affirmarunt. Sed ne aliena ſolum in Te laudare velle videar, Sapientiſſime Rex, contendo equidem fore, ut poſteri obſtupeſcant, audientes & legentes quae pro litterarum litteratorumque gloria ipſe geſſiſti, quare certatim omnes alius alio gravius atque ornatius de Tuis ſingularibus meritis praedicat, cunctique omni ope atque

opera enituntur, ut Tibi cogniti ſint, quod unum ad promerendam gratiam atque beneficia Tua ſufficere putant. Quae contentio atque aemulatio fuit major, quae major praedicatio de Tuis laudibus, quae cura, quodque ſtudium praetermiſſum in te honorando, cum Pariſiis eſſes, & una cum viris ſapientia claris ita verſareris, perinde ac ſi fortuna nil niſi ingenii bona Tibi largita fuiſſet? Ac mihi intuenti in iſtam ſapientiam Tuam minus mirum videtur, quod Regiam Majeſtatem facilitate humanitateque incredibili temperes. Scis enim veram ibi eſſe gloriam, ubi ſit ſempiterna, quae nec imaginibus, nec ſtatuis, non luxu ac ſuperbia, ſed virtute ac meritis propagatur. Quidni igitur confidam Te librum

hunc ita benigne excepturum, non ſecus ac amplecterereris illos ipſos viros, quorum vitas hiſtoriae monumentis mandavi, ſi eos vivos Tibi ſiſtere mihi liceret? Cui muneri meo opto ut exiſtimes magnum tributum praemium, ſi illud Tibi judici ſane ſummo haud diſplicuiſſe cognovero.

INDEX VITARUM

QUAE IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR

Nicolaus Fortiguerra	pag. 10.
Scipio Maffejus	38.
Caelestinus Galianius	179.
Apostolus Zenus	200.
Benedictus Marcellus	272.

Digitized by Google

VITAE
ITALORUM
DOCTRINA EXCELLENTIUM
QUI SAECULIS XVII. ET XVIII. FLORUERUNT

ANGELUS FABRONIUS

CAROLO DENINAE

S. P. D.

NEmo vel mediocriter eruditus ignorat quid poſſit in dicendo ſermonis feſtivitas & in jocando lepos, & quantum interſit habere cognitos ridiculi fontes ad exhilarandos, renovandos revocandoſque hominum animos. Praecepere jam artis rhetoricae magiſtri, ſi viderint oratores defeſſos illos eſſe, qui audiunt, ab aliqua re, quae riſum movere poſſit, exordiendum, ab apologo, a fabula veriſimili, imitatione, depravatione, inverſione, ambiguo, ſuſpicione, irriſione, ſtultitia, exſuperatione, collatione, adjectione, abjectione, litterarum mutatione, praeterea expecta-

tione, ſimilitudine, novitate, hiſtoria, verſu, aut ab alicujus interpellatione, aut arriſione. Fateor equidem jocos & facetias, quamvis omnia tradi arte poſſe videantur, naturae adeo propria eſſe (haec enim fingit homines & creat imitatores & narratores facetos, & vultu adjuvante & voce, & ipſo genere ſermonis) ut nullam artem & doctrinam requirant. Quapropter ſaepe videmus homines illitteratiſſimos in utroque genere leporis excellentes, & illo quod in perpetuitate ſermonis, & eo quod in celeritate atque dicto eſt. Illud tantummodo praecipi poſſe videtur hominibus facetis & dicacibus, ut habeant locorum, hominum, temporum rationem, ut ab aculeis contumeliarum abſtineant, ut obſcena vitent, ſacra revereantur; & ſic, omnia moderante prudentia, interdum ea, quae occurrunt, cum ſalſiſſime dici poſſunt, teneant, quanquam, ut ajebat Ennius, flamma a ſapiente facilius ore in ardente opprimitur, quam bona dicta tenentur. Verum ſive artis, ſive naturae, ſive utriuſque ſit ludicra dictio, eam quidem adeo propriam quarumdam nationum eſſe videmus, ut hanc laudem minime cum ceteris communicent. Primum Athenienſes, ut inventores & perfectores omnium

elegantiarum artium atque doctrinarum hunc ingenii fructum laetum & uberem extulerant, ut non minus Attici ſales propter eorum acumen atque ſolertiam, quam mel Atticum propter loquendi ſuavitatem praedicaretur. Inveniebantur etiam ſalſa multa & ridicula penes alios Graecos, & poſt Atticos Siculi, & Rhodii & Byzantii excellere eo in genere putabantur. Atque haec laus fuit urbium, illa vero ſermonis, quod ſermo Graecorum ſit leniſſimus, hominumque naturae convenientiſſimus, & qui decenter cuicumque rei poſſit aptari. Nemo vero dubitaverit quin mores, ingenium, fortunam populorum fere ſequatur dictio, ſic ut quaeque gens pro caeli natura, pro educatione ac diſciplina civium, pro imperii poteſtate, atque amplitudine ditionis aliter plerumque atque aliter affecta loquatur; unde ratio reddi poteſt, quare imperioſa & togata gens Romanorum, quae animi robore legumque ſeveritate praeſtare ſe Graecis exiſtimavit ſemper & gloriata eſt, genus loquendi gravius quam laetius excoluerit. Ea propter ſi quis humilia eleganter exprimere vellet, torquebatur ab ipſa linguae nobilitate, cui rei exemplo eſſe poſſunt multa, quae a Theocrito Virgilius mutua-

tus eſt, in quibus minime retinere potuit ſimplex illud & nativum, quod tantopere in Graeco bucolico Poeta admiramur. Quid mirum igitur ſi Romani Graecis in jocandi lepore conceſſere, ſerme deſpectui habentes exagitatores ſeveri Graecarum omnium levitatum, quod ſe aſſequi poſſe deſperabant? Ille ipſe Cicero, qui aſſidua exercitatione audiendi, legendi, ſcribendi, interpretandique Graecorum omnes delicias & veneres in ſui Romanorumque uſum convertere ſatagebat, & divino, quo praeditus erat ingenio re vera convertit, quique mirifice capiebatur facetiis, ut Papirio Paeto aliquando ſignificavit, frigidus tamen in jocis, teſte Quintiliano (1), *a ſuae aetatis hominibus reputatus eſt. Mihi vero ſive recte judico, ſive amore immodico erga dicendi magiſtrum afficior, mira quaedam in eo fuiſſe videtur urbanitas; & hac certe laude ſuperior fuit Demoſtheni, qui minus aptus ad jaciendum mittendumque ridiculum* (2) *habetur, quanquam ipſe Cicero*

(1) Lib. XII. cap. 10.

(2) Longinus ſic de Demoſthene judicat. *Ubi urbanus eſſe, atque excitare riſum conatur, non tam riſum excitat, quam ridetur ipſe, cumque huc prope accedere ſtudet, atque agit ut jucundus ſit, ab eo tamen recedit longius.*

exiſtimet Graecorum oratorum principem non tam dicacem quam facetum fuiſſe, quorum alterum acrioris ingenii, alterum majoris artis eſſe dicit. Ceterum qui amant acutas amphibolias, elegantes iperbolas, paragrammata bella, & cetera hujuſmodi, quae ſunt in ſecundo libro de Oratore per Antonii perſonam diſputata de ridiculo, plura exempla in Cicerone reperient, ut facile contendant non immerito de ſe illum gloriatum, in hac quoque arte plurimum valuiſſe (1) *condonandumque ei ſi interdum frigidulus fuit, quod iis omnibus accidit, qui multi in jocis eſſe volunt. Verum, ut diximus, quia ſumma erat dignitas populi Romani, genus orationis grandius quoddam & illuſtrius, minuſque propterea ad jocos & facetias idoneum fingi debuit, & leve a terrarum dominis putari totum illud, quod riſum movet, quod quidem ipſe Cicero expertus eſt, quando & acute & hilare in oratione pro L. Muraena Stoicorum dogmata exagitare voluit. Sed ut a Graecis & Latinis ad noſtros veniamus, ea quidem eſt copia & praeſtantia Italicae linguae, ut ad omnes res proprie exprimendas facta videatur, ita*

A 3

(1) Epiſt. ad Famil. l. VII. ep. 32.

flexibilis, ut ſequatur quocumque torqueas; quapropter eadem ſi quis bene utatur, ut Pericles tonare & fulgurare poterit, & ad omnem feſtivitatem & jocum ut Socrates, vel ut ejus deriſor Ariſtophanes deſcendere. At ſuavitas & urbanitas loquendi, quemadmodum apud Graecos Atticorum, ſic in Italico ſermone Etruſcorum maximeque Florentinorum eſt propria; & nemo ſane in hanc urbem venit, quin delectetur lepore & facetiis humiliorum, admireturque vel in ipſis pueris celeritatem ingenii, quae apparet vel cum facetis & dicacibus dictis alios provocant, vel laceſſiti reſpondent, vel turpitudinem aliquam notant & deſignant. Sed iſtud ingenii acumen niſi ab ipſa adjuvaretur oratione molli, jucunda, ſuavi, omnique elegantiarum copia affluenti, aut nullum eſſet, aut ad riſum excitandum parum valeret. Bene igitur ac ſapienter majores noſtri ſe geſſiſſe videntur, qui cum in eo elaborarent, condita Furfureorum Academia, ut illa ſalubritas Florentinae dictionis, quaſi ſanitas ſervaretur, inſtituerunt ludicrum etiam quoddam excolendum dictionis genus, quod ſpeciem antiquae & vernaculae feſtivitatis referret, cum utraque laus Florentini populi propria eſſe videretur. Longum

eſſet commemorare quot in hoc genere excellentes ſcriptores habuerimus; & quod ceterae cultiores nationes tum in omni praeclara arte atque doctrina exempla ab Italis ad imitandum ſumebant, nonnullae experiri voluerunt quid poſſent etiam in ludicra dictione. Britanni ad triſtitiam ſeveritatemque facti, cum ludicra tractarunt, ſic inſulſi extiterunt, ſi perpaucos excipias (1), *ut nihil aliud eorum niſi ipſa inſulſitas rideatur: laetiores & vividiores Galli in illo genere perpetuae feſtivitatis aliquid memoria dignum ediderunt, & efferuntur adhuc nomina Scarronii, Voiturii, Benſeradii & aliorum. Sed nunc horum hominum ſcripta tanquam pueriles ineptiae a multis exagitantur, & cum his propoſitum ſit eliminare omne id, quod eſt ridiculum, non ſatis ii noſſe videntur plura eſſe ridiculi genera, vitioſa alia, commendatione alia digna. Quid jucundius auribus noſtris unquam accidere ſolet Bernii carminibus, cujus oratio ita pura eſt, ut Etruſce loqui pene ſolus videatur, ſic affluens omni lepore & ſale, ut ei gratiam habeas, quod genus ſcribendi induxerit*

A 4

(1) In horum numero ponendus Auctor poematis, quod inſcribitur: *The Rape of the Lock*.

prope ſingulare. Hujus veſtigiis cum plurimi inſtitiſſent multa pepererunt, quae habent urbanitatem, elegantiam, acumen, & artem perpetuae feſtivitatis, ſi tamen arti locus eſſe poteſt iis in rebus, in quibus natura dominatur. Quae dulcedo orationis, qui odor urbanitatis, quae mollitudo humanitatis extant in ſcriptis Areoſti cum jocari voluit, & lectores ſuos paulliſper ad hilaritatem riſumque traducere? Quid multa? Unus Fortiguerra cum ludicrum poema condendum ſuſcepiſſet, tantos in illud intulit verborum & ſententiarum lepores, tantam feſtivitatem narrationum, ut quamvis multi iſtud poematis genus apud nos feliciter tentaverint, princeps tamen ille meo judicio ſit habendus. Quod non tam copiae argutiarum & ſalium, aliarumque hujuſmodi ſuavitatum aſſignaverim, quam quod omnia belle, proprie, facile ac plane Etruſce exprimuntur. Geri illa fierique quae legis tibi videbuntur; interdum plura cogitabis quam videas; & cum deſcribuntur hominum quorumdam mores, re narrata aliqua, quales ſunt ſtatim intelliguntur, & plerumque in inſigni aliquo ad irridendum vitio reperiuntur. Facile exiſtimabis poſſe te aliquid ſimile conficere, ſed ſi ad ex-

Digitized by Google

periendum calamum ſumes, nihil difficilius invenies perpetua illa urbanitate, elegantia, quae hunc facilem & quotidianum ſermonem exprimit & exornat. Dolemus, ut olim Caeſar doluit apud Ciceronem, nativum loquendi leporem nunc pro relicto haberi, indeque factum, ut vetus pene exaruerit urbanitas, cujus poſſeſſionem, quod Fortiguerra ſtudioſus gloriae antiquae Etruſcorum quibuſque interdictis defenderit adverſus peregrinitatis amatores, nulla non laude extollendus eſt, ejuſque exemplum noſtris hominibus, quod imitentur, proponendum. Ea propter illius uitam litterarum monumentis mandare aggreſſi ſumus, quam ad te mittimus, cujus cum frugi ſeveraque eſt vita, tum etiam jucundiſſima convictio. Probaſti enim ſemper illam Ciceronianam ſententiam (1), *quae monet minime ſejungendum jocum a philologia, & quotidiana* συζήτησει. *Vale.*

Florentiae Id. Octobris MDCCLXXXI.

(1) Ad Famil. lib. 16. ep. 21.

Nicolaus Fortiguerra.

Nicolaus Fortiguerra Piſtorii perantiqua & illuſtri familia natus eſt VII. Idus Novembris anno a Chriſti ortu MDCLXXIV. Pater ei Jacobus fuit, vir plane bonus & egregius civis, cujus praeclaris laudibus illa quoque acceſſit, ut eleganter pingeret; mater Martha Fabronia femina primaria & virtutibus praeſtans. Domi educatus jam ab ineunte aetate oſtendit nihil ſe niſi bona ſtudia, bonoſque mores cogitare atque colere. Erat in eo docile ingenium, adeo memoria valebat, ut integros poetarum libros, quibus in primis delectabatur, facile comprehenderet, eratque ſumma ſuavitas oris & vocis. Quibus rebus id aſſequebatur, ut omnibus eſſet cariſſimus; & parentes ejus non ſolum ſperarent, ſed etiam confiderent majorum gloriam illum aequaturum. Pater mature deceſſit. Ipſe adoleſcentulus Piſas venit, ut juris prudentiae ſtuderet, qua in facultate cum eo tempore unus omnium maxime floreret Joſephus Averanius, huic prae-

ſertim operam dedit. Sed animus ejus ſcientiae percupidus non ſola juris prudentia contentus erat. Itaque Benedictum Averanium, Laurentium Bellinium, reliquoſque celebriores doctores, qui tum maxime Gymnaſium illud illuſtrabant, frequenter audiebat. Sed in primis coluit Alexandrum Marchettum, a quo cum in aliis rebus, tum ſtudioſiſſime in poetica exercebatur. A Lazaro vero Benedicto Miglioruccio inſignia doctrinae accepit, quod accidit an. MDCXCV. Tanta indoles non videbatur poſſe intra domeſticos parietes contineri. Itaque illi, ex quorum arbitrio pendebat, Romae in nobiliſſimo orbis terrae theatro eumdem verſari voluerunt. Erat cum illo magnis propinquitatis vinculis conjunctus Carolus Auguſtinus Fabronius vir magnis ornamentis non ſolum honoris (eo enim Innocentius XII. utebatur in ſignandis libellis ſupplicibus) ſed etiam virtutis & ingenii praeditus, huncque conſuetudine ſua ſic ſibi devinxit, ut nemo ei perpetuo fuerit carior. Alios quoque ampliſſimorum ordinum brevi ſibi conciliavit, quibus ſic officium & cultum praeſtabat, ut ne quid de

ſtudiis ſuis detraheret. Nam & juris prudentiae multam operam navabat, Graecaſque litteras, quas Piſis primoribus tantum labiis guſtaverat, duce Francheluccio avide percipiebat; nec a muſarum Italarum conſuetudine, ad quas a natura natus & factus videbatur, in his occupationibus abſtrahi poterat. Profluxit autem ad hominum famam, cum Latina oratione laudaſſet Innocentium XII. in funere, quod illi in Vaticano Templo curatum eſt. Extat haec oratio, & ea quidem gravis, ſplendida, copioſa, multiſque ſententiarum luminibus diſtincta. Habebat enim immenſum campum, in quo libere exultare poſſet. Nec multo poſt a Clemente XI. miſſus eſt Legatus ad Philippum V. Hiſpaniarum Regem Antonius Felix Zondadarius. Is ſecum habere voluit Nicolaum captus adoleſcentis humanitate & doctrina. Mari cum ſe commiſiſſent, ſaeva adeo tempeſtate jactati fuere, ut in ſummo vitae diſcrimine tribus diebus ac noctibus erraverint. Nec minus ſaxa & cautes timuerunt, quam Turcica littora, prope quae fuere. In Sardinia demum perfugium habuerunt, ibi-

que ſumma in difficultate navigandi aliquandiu detenti ſunt. Haec tempeſtas plurimum detrimenti attulit valetudini Nicolai, cui ut conſuleret, duodeviginti poſt menſes in Italiam rediit. Romae paucis diebus commoratus eſt amicos ſalutandi & viſendi cauſſa, inde in Patriam conceſſit. Cum jam ſe corroboraviſſet, honores ſpectans Urbem remigravit, tectoque receptus fuit a Carolo Auguſtino Fabronio, quem haud multo poſt Clemens in ampliſſimum Purpuratorum ſenatum cooptavit. Primum autem dignitatis gradum Nicolaus aſcendit, cum ab eodem Pontifice Maximo inter honorarios Cubicularios adſcitus fuiſſet, a quo & Canonicus Baſilicae primum S. Mariae Majoris, idque exeunte anno MDCCXII., mox decem circiter poſt menſes S. Petri in Vaticano declaratus eſt. Factus etiam ab ipſo fuit utriuſque Signaturae (liceat uti uſitatis verbis, ſi nos forte Latina deficient) Referendarius; ab Innocentio vero XIII. S. Conſultationis Ponens. Sed haec Nicolao cum multis erant communia. Non pari modo ingenii facultates, inter quas eminebant lepos

& feſtivitas orationis, litterarum & antiquitatis cognitio, in pangendis carminibus mira felicitas, & in omni ſcriptionis genere munditia atque elegantia. Quo fiebat, ut nullus Romae eſſet litteratorum hominum coetus, in quem ille libentiſſime non reciperetur. Sed praeſertim Arcadibus, qui eum appellarunt *Nidalmum Tiſeum*, fuit acceptiſſimus, ratis magno uſui ſibi fore in gloria Academiae magis magiſque provehenda. Quod quidem eos non fefellit. Nam nunquam ejus vox audita eſt, quin illi a cuncto conſeſſu plauſus multiplex fuerit datus; nec non plura iiſdem ſuppeditavit, quibus ornarent illa volumina, quae continent quidquid praeſtantiſſimum celebriores Paſtores condiderunt tum verſibus, tum ſoluta oratione. Inter carmina Nicolai meo judicio praeſtat omnibus ode illa amatoria, cujus initium eſt: *Qualor io penſo, e qualor gli occhi io volgo:* grandis illa quidem, ſplendida, ingenioſa, concinna, in qua plura admiſcuit ex intima Platonicorum philoſophia. In hac mihi videtur aemulus eſſe voluiſſe laudum, quas homines intelligentes pleno ore tum conce-

debant ejuſdem generis poemati, quo Euſtachius Manfredius celebravit Juliam Vandiam, quoque nihil fieri judicatur poſſe praeſtantius. Nam, ut ajebat ipſe Fortiguerra, neque illud ipſum quod eſt optimum deſperandum eſt, & in praeſtantibus rebus magna ſunt ea, quae ſunt optimis proxima. Affluens omni lepore & venuſtate eſt ode, qua laudat Genuenſes feminas. Quae cum in manus hominum ſtatim perveniſſet, nec prudentum judicium, neque invidorum reprehenſionem pertimuit. Inſidebat enim in mente Fortiguerrae ſpecies optimi eximia quaedam, quam intuens, in eaque defixus ad illius normam ſtilum, quamvis varia & ferme oppoſita tentaret, dirigebat. Prorſus Anacreontem redolet carmen, quod incipit: *Io lo ſo, lo veggio ognora*. Nimis vero longus eſſem, ſi pulchritudines perſequi vellem ſingulorum carminum Nicolai, quae relata ſunt in illa Arcadica volumina, reliquaſque celebriores collectiones. Satis erit illud dixiſſe, nihil in iis occurrere vulgare & commune, ſed omnia varia & nova, omnia ad poeſis praecepta efformata, omnia pura, & ſapore plane poe-

tico condita, ut facile intelligi poſſit illum fuiſſe a natura & arte ad hanc facultatem inſtructiſſimum. Multum vero Graeca in lingua verſatum fuiſſe indicat carmen de nuptiis Acontii & Cidippae, quod e Graeco in Etruſcum convertit. Carminibus quoque Italicis reddidit Euripideam tragoediam, quae inſcribitur, *Iphigenia in Tauris*, & quidem elegantiſſime, ut mihi teſtatus eſt Michael Angelus Giacomellius, doctus & intelligens harum rerum exiſtimator, cui eam legendam atque emendandam dedit: ſed haec in vulgus minime prolata fuit. Quamvis non mediocrem, minorem tamen laudem ex iis cepit, quae ſcripſit ſoluta oratione. Splendet ubique purum quaſi quoddam & candidum dicendi genus, & tractam quamdam & cum lenitate aequabili fluentem orationem ipſum perſecutum maxime fuiſſe ex iis apparet. Conjicies etiam minime eidem ingenium ad eloquentiam defuiſſe ex ea oratione, quam anno MDCCXI. in aedibus Capitolinis habuit de laudibus architecturae, picturae & ſculpturae: praeſertim vero floruiſſe lepore & urbanitate perſpici poteſt ex

iis

iis duabus paſtoritiis orationibus, quarum una laudes continet Clementis XI., altera eſt de principiis rerum. In hac poſtrema rerum naturalium ſe quoque litterate peritum oſtendit. Explicat enim principia & cauſſas ſalſitudinis aquae marinae, fontium, terrae motuum, metallorum, lapidum, arborum, florum, aliarumque hujus generis rerum. Multa praeterea de ſideribus atque eorum motu, de mundi ac terrarum magnitudine, de rerum natura, de Dei immortalis vi ac poteſtate in litteratorum conventu docte & feſtive eumdem diſputaſſe ſcimus, omnibusque probaſſe, ſe non tam poliendae orationis quam tradendae divinarum humanarumque rerum ſcientiae peritum fuiſſe. Quid vero feſtivius epiſtola illa ad Marium Creſcimbenium, ut illum deprecaretur, ne ſibi onus imponeret cujuſdam laudationis contexendae? Nec non Latina quaedam in Arcadia recitavit, quae in vulgus minime ſunt edita: haec tamen elegantia ſermonis ab iis, quae ſcripſit Italice, ſuperantur. Nec Arcadiae ſolum lumen ingenii ſui Nicolaus oſtendit. Nam anno MDCCXV. cum a Cle-

mente XI. ſumma cum caeremonia Vaticana in Baſilica translatio corporis S. Leonis Magni ab humili loco ad ornatiorem auguſtioremque perageretur, habuit de eodem ſancto Pontifice Latinam orationem, quae publici juris facta eſt, ſane bonam & nobilem. Anno, qui conſecutus eſt, accidit, ut Canonici ejuſdem Baſilicae aliquem e ſuis Piſtorium mittere vellent, qui corona aurea donaret (ii ſoli iſtud jus ex veteri inſtituto habere dicuntur) iconem Beatae Virginis, quae ab *Humilitate* appellatur. Ex his delectus eſt Nicolaus; iſque mandatam rem magna cum celebritate confecit. His ſolemnibus, quae per triduum fuere, haud mediocre decus attulit praeſentia Joannis Gaſtonis Magni Etruriae Ducis, Violantis & Eleonorae, quarum haec uxor fuerat Franciſci, illa Ferdinandi Mediceorum; hique omnes ſummis honoribus Nicolaum ſunt proſecuti. Tanta vero erat in eum ſuorum civium caritas, ut nullum officii genus excogitari poſſit, quod ei non praeſtiterint. His peractis, cum ſuis rus venit, ut aucupio, ſicuti mos eſt noſtrorum homi-

num, ſe oblectaret. Erat enim autumnus. Veſperi autem nobiles quidam eruditiſſimique adoleſcentes, qui in vicinis villis habitabant, congreſſus ejus doctiſſimoſque ſermones requirebant, & cum his plerumque ipſe delectabatur lectione poematum Bernii, Pulcii atque Areoſti. Accidit aliquando, ut cum a legendo requieſcerent, horum quidam eum compellaverit: *heus tu, quanti*, inquit, *putas laboris fuiſſe non dicam unius libri, ſed paucarum* ὀγδοάδων (1) *confectionem! Nam quo major facilitas in his poematibus apparet, eo magis in iis auctores ſuos elaboraſſe exiſtimare debemus*. Huic reliqui ſunt aſſenſi. Tum Nicolaus: *ego vero*, inquit, *non multum arbitror illos ſudaſſe, quoniam in poeſi natura in primis dominatur. Et ne me verba dare putetis, hoc recipio me ad vos ſequenti veſpere librum allaturum, qui ex ſtilo trium horum poetarum miſceatur & temperetur*. Magna ſane res,

B 2

(1) Libuit ſic appellare, quae nos Itali dicimus *Canto e Ottava*. Graecum verbum ὀγδοάς ex ode ſecunda Nemeorum Pindari ſumpſimus: nec animo occurrit aliud Veterum carmen, in quo ſervata haec diviſio fuerit, ſuoque nomine appellata.

dicerem etiam audacem, niſi probe mihi perſpecta eſſet Nicolai ſingularis ingenii vis. Et hercle datam fidem liberavit eo ſucceſſu, ut illi adoleſcentes iſtud unius diei opus ad caelum extulerint, & ſummis precibus ab eo contenderint, ne gravaretur, quod inſtituerat, exaedificare. Quod & fecit. Id enim honeſtiſſimum eſſe putavit, in quo otium ſuum, & ſubceſiva praeſertim tempora oblectaret. Condidit ergo poema, quod inſcripſit *il Ricciardetto*, quodque in triginta libros diſtribuit. Ipſe inventor & architectus fuit rerum omnium, quae in eo narrantur; & potuit facile, cum admirabile ingenium haberet ad fingendum. Quanta ubertas & copia portentorum & monſtrorum! Sic enim facilius lectorum multitudinem delectari poſſe putavit, praeſertim cum omnia ordine quodam diſtribuiſſet, & interdum ſententiarum inſi gnibus & mira ſemper varietate diſtinxiſſet. Quoniam quidem haec delectatio & jucunditas ei propoſita in primis erat, libavit ex omni genere urbanitatis facetiarum quemdam leporem, quo tanquam ſale ubi-

que hoc ſuum poema aſpergeretur. In hac rerum feſtivarum copia ſunt nonnulla, in quibus ſatius erat haud riſum quaerere. Sed non dubitavit interdum plus aequo obſequi hilaritati illi ſuae, quoniam nunquam fore putavit, ut hic ſuus labor in hominum manus perveniret. Quam excuſationem ſiqui forte non accipient, non propterea de illo graviter detrahent. Scio enim ex locupletiſſimis teſtibus, cum quibus is conjunctiſſime vixit, moribus fuiſſe caſtiſſimis atque ſanctiſſimis. Sed licet multum comprimeret poema hoc, non tamen illius exemplum negare potuit Cornelio Bentivolo Cardinali, cui magnis obſtringebatur non ſolum beneficiorum, ſed etiam amoris vinculis. Erat enim iiſdem ſtudiis, quae ipſe colebat, deditiſſimus. Guido vero filius fratris ejuſdem Cardinalis, mortuo Nicolao patruoque, non ſe tenuit, quin illius imprimendi poteſtatem permitteret Franciſco Pittero Veneto bibliopolae. Etenim magno illud fore ornamento Italae poeſi exiſtimavit. Et ſane unus omnium conſenſus fuit in ejus elegantia, ſe-

ſtivitate & nativo lepore (quo nihil porro legentibus jucundius (1) & experientibus difficilius) ſummis laudibus efferendo. Ex quo factum eſt, ut bis ſpatio unius anni (is fuit MDCCXXXVIII.) typis impreſſum fuerit. Librorum argumenta compoſuit Dominicus Octavius Petroſellinius magni nominis poeta. Ipſe vero auctor epiſtola quadam ad Euſtachium Manfredium, quae poemati praeit, pluribus verbis exponit contentionem ſane gravem, quam hujus poematis cauſſa habuit cum docto quodam viro; huncque fuiſſe Juſtum Fontaninium conjectura ducor ad ſuſpicandum. Hanc epiſtolam eo ſapore vernaculo condivit Nicolaus, ut non dubitem eam tanquam exemplar recte ſcriben-

(1) Scribebat aliquando Manfredius ad amicum, cum totus eſſet in Ricciardetto laudando. *Non ceſſiamo di ripeterlo. Il naturale è l' incanto il più ſicuro e il più durevole; è quello che fa vivere le opere, quello che le fa amare; è il naturale che rende gli ſcritti degli antichi sì prezioſi, poichè adoperando un idioma più felice di quelli, che ora ſi pregiano, avevano minor biſogno di tratti ſpiritoſi; è il naturale che diſtingue i più gran ſcrittori, poichè un de' caratteri del genio è di produrre ſenza sforzo; è il naturale finalmente che ha poſto la Fontaine, che non inventò niente, al lato dei genj inventori.*

di proponere. Haud pauca etiam in ea admiſcuit, quae illum oſtendunt doctum & intelligentem exiſtimatorem Epicae poeſis, quaeque eum facile excuſabunt, ſi interdum in hoc ſuo poemate condendo ab artis praeceptis receſſit. Iiſdem temporibus, quibus in *Ricciardetto* elaboravit Nicolaus, interpretationem quoque elegantiſſimam comoediarum Terentii concinnavit Italico verſu, quem ſolutum appellant. Quanti autem iſtud opus aeſtimandum ſit, ex hoc facillime cognoſci poteſt, quod Apoſtolus Zenus, vir qui ſane teretes aures habebat intelligenſque judicium, acri reprehenſione dignum putaverit Fontaninium, quod illud non pleniſſimo ore laudaverit in illa ſua *Bibliotheca Italicae Eloquentiae*. Idem Urbini an. MDCCXXXVI. ita impreſſum fuit, ut nihil fieri neque elegantius, neque magnificentius potuerit. Nam ceteris ornamentis acceſſere figurae affabre inciſae ſcenicarum perſonarum, quales viſuntur vetuſtiſſimo in codice Terentiano Vaticanae bibliothecae. Simili modo vertit Nicolaus quinque Plauti comoedias, haſque aut jacere in tenebris, aut periiſſe jure meri-

toque dolemus. Nam teſtimonio illorum, qui eas legerunt, laudes ſuperiorum exaequabant. Porro deditiſſimum Nicolaum fuiſſe Latinis comicis, hoc quoque erit indicio, quod Apologos quoſdam Plautino ſtilo compoſuit; quodque ex hujus poetae fabulis multa memoriter & jucunde pronuntiare ſolebat. Riſit aliquando inſcitiam hominis, in quo interiores quaedam & reconditae litterae eſſe putabantur, qui volens hos Apologos eorum auctori laudare, dixit redolere veneres Apulaeii. Neque hoc praetereundum eſt a Nicolao aliquando, quo magis de litteris & de patria bene mereretur, cogitatum, ut per ſe extarent in hominum manibus Italica carmina Antonii Fortiguerrae gentilis ſui. Mollia ſunt, arguta, candida, & omnino ad Petrarchae normam efficta, quod eo laudabilius quia illius aetas incidit in ea tempora ſeculi XV. quibus illuſtrium ſcriptorum, qui paullo ante floruerant, nomina prorſus viluerant, cum barbaries omnia occupaſſet. Sed ambitio honorumque contentio ſaepe obſtabant quominus Nicolaus res, quas agere inſtituerat, perficeret. Profecto nun-

quam majori in ſollicitudine fuit quam poſtquam Cardinalis Fabronius e vita migravit, in cujus auctoritate dignitateque omnes ſpes ſuas collocaſſe videbatur. Quae ſorbere & concoquere poſtea debuit, cum Benedicto XIII. ad Catholicae Eccleſiae clavum ſedente, omnia ferme nutu atque arbitrio Nicolai Coſciae Cardinalis regerentur! Meliore in ſtatu res illius eſſe coeperunt, poſtquam factus eſt Pontifex Max. Clemens XII., cui ſane nunquam voluntas ejuſdem ornandi defuit. Summa vero a Nicolao dabatur opera, ut illum ſibi magis magiſque demereretur, & raro ad eum ſine poeticis ſcriptis, quae *Ricciardetti* caſus narrarent, accedebat, in quorum recitatione videbatur venerandus ille ſenex curarum levamentum invenire. Multis itaque invidentibus, quos ingenio induſtriaque ſe tandem fregiſſe gloriabatur, an. MDCCXXXIII. Cardinalium Decuriae, quae Propagandae Fidei ab ejus inſtituto dicitur, Secretarius creatur. Quod munus illi gratiſſimum fuit non tam propter ejus amplitudinem, quam quod ab eo initium ampliſſimarum fortunarum Fabro-

nius Card. fecerat. Neque multo poſt intellexit majora ſibi Pontificem deſtinaſſe, cum deſignatus ab eo fuiſſet S. Conſultationis, ut dicunt, Secretarius. Sane non poterat fieri neque honorificentius neque utilius. Sed cum perplaceret Corſinio Cardinali, ut eo munere augeretur re & nomine bardus homo, verba ſibi dari facile Fortiguerra paſſus eſt, neque ſe tum loco moveri annuit. Poenituit poſtea illum hujus conſilii ſui, cum qui ſe invenerat, repudiaſſe honorem quereretur, tantaque vis fuit poenitendi, ut non modo animus, ſed & corpus omnino fractum ac debilitatum fuerit. Quinque circiter menſibus aegrotavit, cumque tumores ſub auribus apparuiſſent, adeo inflati ſunt, ut niſi medicina aegroto ſuccurriſſet, periculum erat ne ei ſpiritus, a quo linqui identidem videbatur, intercluderetur. Illa tamen non valuit ad ſanandum omnino malum, quod cum in venas permanaſſet, eo conſumptus eſt Nicolaus XIII. Kal. Martias an. MDCCXXXV. Vixit annos unum & ſexaginta, menſes tres, dies vero undecim. Juſta ei facta fuere in Templo Collegii Propagandae Fidei, ibidem-

que loci ſepultus. Paullo antequam moreretur, magnam chartarum vim juſſit comburi, ſicque plurima, quae inchoaverat, ſcripta, & haud pauca etiam, quibus extrema manus acceſſerat, non ſine ingenti Muſarum luctu interciderunt. Inter haec erat comoedia Italicis verſibus compoſita, in qua eleganter non minus, quam lepide mores ad vivum expreſſerat quorumdam nobilium, cum quibus familiariſſime vixerat. Ex hoc tamen rogo tanquam ſpolia ſervati fuere tres libri cujusdam poematis, in quo caſus Bajazetti exornandos ſuſceperat. Cauſſa ſuſcipiendi fuit, ut oſtenderet errare eos, qui ajebant unice ſe factum ad jocum & ludum, adeoque ſi ſeriâ tractare conaretur, fruſtra in hanc rem laborem inſumpturum. Et quidem in his tribus libris temperavit ſibi ab omni ſale & facetiis, ſed cum eo perveniſſet, ut Bajazettum cavea incluſum narraret, & nec poſſet non eſſe ſalſus & facetus, & ad ſuum ingenium redire, quaſi de re deſperans, inchoatum opus reliquit. Servatae quoque fuere epiſtolae, quas Italicis carminibus ſcribere ad amicos ſolitus erat. Ha-

rum nonnullae hiſce temporibus in Etruria ſunt impreſſae, ſicque probantur doctorum hominum judicio, ut pauci pares in hoc carminum genere, ſuperior nemo Nicolao ponatur. Sed noſtra erit major, quam reliquorum laudatio. Ceteri enim quam eleganter ac lepide, nos etiam quam facile atque celeriter eas confecerit, ſcimus; quodque vix credendum eſt, pleraſque illarum ſtans pede in uno quaſi ludibundus dictavit. Ex quo intelligi poteſt maximam vim eſſe naturae in poetiça facultate. Porro natura ea tribuerat Nicolao, ut ſi ipſe fingere vellet, neque plura bona comminiſci, neque majora conſequi poſſe videretur. Etenim praeter illud excellens ingenium (admirabantur multi hoc non elucere, quando ille verba facere in judiciis cogebatur) erat in eo magna, apta tamen figura membrorum cum coloris ſuavitate; erat & comitas, ſuaviloquentia, tantaque bonitas morum, ut ad omnem rationem humanitatis accommodatiſſimi eſſe viderentur. Adeo ſimplex & apertus, ut ſuſpenſa, vel ambigua, vel obſcura verba, uti barbaras artes & ſubdola mendacii integumenta, fi-

deique ac ſocietatis humanae perniciem ſemper ſit deteſtatus. Adulationem quoque, blanditias, aſſentationem tanquam peſtem aliquam fugit. Si quam acceperat injuriam, facile obliviſcebatur, percepta vero beneficia immortali retinebat memoria. Nihil unquam neque inſolens, neque glorioſum ex ore ejus exiit. Patriae ſuorumque civium fuit amantiſſimus. Propter delectationem ſermonis communitatemque vitae atque victus (nihil enim ad beate vivendum accommodatius exiſtimabat, quam cum viris bonis, jucundis, amantibus ſui conſociari) libenter verſabatur in conviviis amicorum; edebatque ac bibebat, ut de Caeſare retulit Cicero (1) ἀδεῶς & jucunde. Studioſe coluit amicitias multorum doctrina excellentium virorum. Sed praeſertim uſus eſt familiariſſime Mario Creſcimbenio, Jo. Vincentio Lucchesinio, Euſtachio Manfredio, quem praeceptorem ſuum appellabat, & Michaele Angelo Giacomellio, quocum in Graecis litteris plurimum ſe exercuit eo praeſertim tempo-

(1) Epiſt. ult. lib. XIII. ad Attic.

re, quo ſimul fuere apud Cardinalem Fabronium. Homo ad conjungendas amicitias factus obſervavit etiam caſtas & optimates feminas, quarum nonnullarum nomina ſuo in Ricciardetto immortalitati conſecravit. Cum pateretur in omni ſocietate hilarulus vocari (nam in utroque generis leporis excellens erat, & illo quod in perpetuitate ſermonis, & eo quod in celeritate atque dicto eſt) indignabatur quidpiam in ſe maligne reprehendi, quod vel minimum a juſtitia atque caſtimonia abeſſet. Virtutem enim ſemper amavit & coluit, ſed non illam rigidam & ferream, quae non contenta vitae ſervari munia rectis moribus, omnem animi laetitiam remiſſionemque reſpuere videtur.

Digitized by Google

OPERA EDITA.

Commedie di Terenzio tradotte per la prima volta in verſi Italiani. Urbino a ſpeſe del Mainardi 1736. in fol. & *alibi in 8.*

Ricciardetto di Niccolò Carteromaco in Parigi (*falſo: nam Venetiis impreſſus eſt*) a ſpeſe di Franceſco Pitteri librajo Veneziano 1738. *in 4. & in 12.*

Oratio in funere Innocentii XII. Romae 1700.

---- in Translatione ſacratiſſimi Corporis S. Leonis Magni. Romae 1715.

---- in lode delle nobili Arti della pittura, della ſcultura e dell' architettura: *legitur in ſecundo Volumine* delle Proſe degli Arcadi.

Ragionamento allegorico intorno all' origine delle coſe: *ibidem loci reperitur.*

Diſcorſo Paſtorale per la pericoloſa infermità e ricuperata ſalute del Santiſſimo Pontefice Clemente XI. accaduta nel Dicembre 1712. *ibidem.*

Riſpoſta in forma di lettera familiare ad Alfeſibeo Cario Cuſtode d' Arcadia *ibid.*

Rime: *leguntur in ſecundo & octavo volumine* delle Rime degli Arcadi; nella Raccolta del Gobbi, *aliiſque in collectionibus.*

Raccolta di Rime piacevoli di Niccolò Forteguerra ec. parte prima in Genova 1763. *Liber Florentiae impreſſus eſt, continetque undecim epiſtolas ad amicos ſcriptas. Hae iterum cum aliis Fortiguerrae carminibus Piſciae impreſſae fuerunt an. 1780.*

ANGELUS FABRONIUS

JOSEPHO TORELLIO

S. P. D.

NOn ſolum Veronenſibus, ſed univerſae etiam Italiae & ſaeculo gratulari debemus, quod editus apud vos in lucem fuerit Scipio Maffejus homo profecto ſi quis unquam alius humanitate & litteris excultus, & ad glorioſa ſuſcipienda perficiendaque natus atque educatus. Poſtulabatur & expectabatur a te, vir doctiſſime, magnum aliquid de eo, quocum joca, ſeria, ut dicitur, quocum arcana, quocum occulta omnia, cujuſque virtutes ſic amaſti, ut vigeat nunc etiam memoria amicitiae, quam vere Pyladeam poſſumus nominare. Quae te cauſſa cohibuerit, cum te nunquam contineas in tuis perennibus ſtudiis, a perficiendo, quod inchoaſti, emittendoque in lucem ignoro; & id unum defuiſſe ſummae, qua ſemper uſus eſt Maffejus, felicitati dicam, quod te rerum ſuarum laudatorem, ut teſtem certe habuit, minime nactus fuerit. Placet mihi

Hector

Hector ille Naevianus, qui non tantum laudari ſe laetatur, ſed addit etiam a laudato viro, cum nulla ſit illuſtrior laus, quam quae ab iis proficiſcitur, qui ipſi in laude vixerunt. Quid porro ego praeſtiterim in ejusdem vita exponenda, nemo te melius judicabit; & ſi nihil fuit boni, quod amico, dum viveret, non volueris, optaveris, cogitaveris, effeceris, erit officium tuum ſic conſulere mortui famae, ut non ex alterius imperitia labes aliqua illius dignitati aſpergatur. Verum ſi nequaquam parem illius ingenio, at pro noſtro tamen ſtudio meritam gratiam debitamque referre curavimus, poſtulaturi ab omnibus iis, qui haec in manus ſument, ut majus quiddam de Maffejo, quam quantum a nobis exprimi potuit, ſuſpicentur. Nulla profecto aetas de ejus laudibus conticeſcet, praeſertim cum jeciſſe videatur fundamenta multarum artium, quae ad tantam amplitudinem nunc minime perveniſſent ſine ſumma illius induſtria & illo ſingulari ingenii acumine, quo occultiſſima perſpiciebat; ex quo fiebat ut ad veritatem aſſequendam natus eſſe judicaretur. Mitto cetera, ut de beneficiis, quae in artem diplomaticam contulit, pauca delibemus. Jam ante ipſum, quod demi-

ror equidem ; pauci apud nos in conquirendis illuſtrandiſque veteribus diplomatibus occupabantur, & nulla erat certa regula, qua vera & falſa dijudicarentur, & ea ipſa, quae in lucem emittebantur, plena erant mendis, ut vel ipſis monumentis rerum ſuarum hiſtoriam factam eſſe mendoſiorem jure ac merito ipſe quereretur. Tanto malo igitur conſulendum, & diplomata praeſertim papyracea ipſa antiquitate inſignia & ſtudioſe conquirenda & accurate exſcribenda monuit, promittens iis, qui haec curarent, nominis immortalitatem. Multa ſane hiſtorica, quae pertinent ad tenebricoſiſſima illa tempora, quibus litterae non ſilere modo, ſed omnino extinctae eſſe videbantur, niſi ex diplomatibus cognoſcere poſſumus, quae quidem tanti momenti ſunt, ut expreſſam imaginem contineant ſaeculorum, quae media appellare ſolemus. Quibus ex uberioribus fontibus privata quaedam & publica jura derivantur, quam ex hujuſmodi monumentis? Quot fundamenta in his habemus jurisdictionis & dominii! Quot veſtigia continent veteris Eccleſiaſticae diſciplinae! Et cum abundent notitia omni in eo, quod ſpectat ad Epiſcoporum electionem ſucceſſionemque, diviſiones fundationesque Eccle-

ſiarum harumque patrimonia, Catholicae religionis illuſtria monumenta, honoris & gloriae ornamenta & laudum inſignia majores noſtros in iis condidiſſe affirmare debemus. Quid dicam de diverſarum aetatum moribus, & loquendi & ſcribendi ratione, de familiarum & perſonarum notitia, de chronologia, de civitatum aliorumque locorum hiſtoria, quae omnes res aliaeque plures hujuſmodi ita traduntur a diplomatibus, ut eas fruſtra alibi quaeſiveris? Jure ergo meritoque Maffejus Conringii, Chifletii, Launoii, Quatremarii, Coinzii, Papebrochii & Mabillonii aliorumque illuſtria exempla proponens Italos ſuos hortabatur, ne iis inferiores eſſent induſtria, ut certe ſuperiores erant monumentorum copia atque praeſtantia, ut propterea vere ab eo pronuntiatum eſſe videatur, aliquem ſatis callide & perite in his rebus verſari non poſſe, qui Italiam minime peragraverit, & in Itala tabularia minime penetraverit. Quot papyraceis diplomatibus, quae alibi vix inveniuntur, nos Itali gloriamur! Nemo jam aut ſtudiorum ſuorum aut etiam animi cauſſa Romam adit, quin ejusmodi antiquitatis reliquias ad chalcidicum Vaticanae Bibliothecae videat magno numero collectas at-

que ornatu regio & magnifico excultas; nemo Ravennam appellit, qui non ſentiat non minus ex antiquis operibus, quae ad hanc diem vivunt, quam ex papyrorum copiis, quibus ea tabularia abundant, urbem illam laudandam & praedicandam eſſe: mitto Bononiam, Florentiam, Venetias, alias praeterea urbes, ad quas nemo paullo doctior accedit, quin veterem iilam in eis papyrorum ſcripturam admiretur. Quae quidem Italiae opes nondum ſatis explicatae, palam, uti ſpero, propediem proponentur: nactae autem ſunt illuſtratorem Antonium Zirardinium in hoc genere litterarum omnis memoriae facile principem, qui & exſcribere diligentiſſime & commentariis ornare copioſiſſime poſſit; praeſertim cum conjuncta opera tantae rei conficiendae adlaboret praeſtans eruditione atque ingenio vir Cajetanus Marinius, quem ego volens libens commemoro cum amicitiae noſtrae cauſſa, tum etiam ejus dignitatis. Sed ut eo redeam, lucet res ipſa per ſe quanto in pretio hujuſmodi opera ſint habenda; neque dubito, quin omnes, qui haec tractabunt, grata recordatione proſecuturi ſint memoriam Maffeii, qui primus facem praetulit hujuſmodi papyris interpretandis, quan-

quam neque omnia videre, neque illa, quae vidit, diu in manibus habere eidem licuit. Profecto ſi quis inveniatur, qui acutiſſime & celerrime perſpicere poſſit, quid in quaque re veriſſimum ſit, is prudentiſſimus & ſapientiſſimus erit habendus; ſi vero hic idem nihil non conferet ſtudii in hominum commodum vitaeque ſocietatem, nihil non operae, nihil non facultatum, hunc tanquam divinum virum e caelo delapſum venerabimur. Quae cum vere de Maffejo in omni fere genere ſtudiorum ſuorum praedicari poſſint, facile ei condonabimus, quod nimis ſe ipſum amare videretur, cum conſcientiam propriorum meritorum & laudum nimium deſiderium φιλαυτίας *malim in hominibus dignis quam arrogantiae aut gravioris alicujus vitii nomine nuncupare. Sed ad hominis effigiem atque imaginem exprimendam veniamus, quae ſi minime polita erit magni artificis manu, quod a te etiam atque etiam efflagitamus, vix poterit ſolari dolorem, quem ex amiciſſimi hominis morte cepiſti. Vale.*

Florentiae Kal. Sext. MDCCLXXXI. *

* Paullo poſtquam haec miſimus ad Torellium, ipſe mortem obivit. Audio inter ejus ſcripta quaedam reperiri ad Maffeii vitam declarandam pertinentia.

SCIPIO MAFFEJUS.

QUis non beatum praedicabit Scipionem Maffejum, qui an. MDCLXXV. Kal. Junii ortus Veronae nobiliſſimis parentibus Jo. Franciſco Maffejo & Sylvia Pellegrinia, perpetua uſus eſt fortuna, tantamque non in Italia ſolum, ſed etiam apud exteras nationes obtinuit nominis celebritatem, ut nemo ei ſuperior poneretur, perpauci pares putarentur? Fuit quidem Maffejorum familia antiquiſſimis temporibus Bononiae illuſtris, ex qua urbe civilium contentionum cauſſa cum diſceſſiſſet, conſtitit primum in Foro Livii; mox ſedem fortunarum ſuarum Veronae collocavit. Floruit autem nullo non tempore viris omni honorum genere conſpicuis, inter quos plures illuſtres Duces & Epiſcopi, & Cardinales uſque tres numerantur. Hi erant in Scipione quidam ſtimuli induſtriae & laboris (nam in ejus animo perpetuo inſedit gloriae amor, a quo noctes & dies concitabatur) cumque non admodum profeciſſet in litteris toto illo quinquennio, quo

in Parmenſi Collegio apud Jeſuitas fuit; quod nihil poterat eſſe perverſius inſtitutione, quae iis temporibus, eoque in loco vigebat, ſtuduit huic malo, quantum potuit, mederi. Retulit ſe praeſertim ad poeticas exercitationes; ſed is, quem barbaries domeſtica jam infuſcaverat, carminibus ſuis aſpergebat pigmenta fucoſque pueriles; & tum ſe aliquid profeciſſe in poeſi ſenſit, poſtquam voce & exemplo commonefactus magnorum poetarum, qui Romae florebant (nam ad hanc urbem acceſſerat an. MDCLXXXXVIII.) totum ſe convertit ad Dantis & Petrarchae lectionem. Et ſimilis quidem Dantis eſſe voluiſſe videtur cum praedicit Italiae, quae ex Pedemontani Principis ortu bona ei eſſent obventura; neque ſatis dici poteſt quanto cum plauſu hoc vaticinium exceptum fuerit, quod non tam divinationem quam carmina prudentes homines probaſſent. Alia & protulit Maffejus in adſpectum lucemque hominum, quae ferme ad veterum ſcriptorum laudem pervenire judicata ſunt, gratulabaturque ſibi, quod ex poeſi non ſolum animi delectationem, ſed & gloriae fructum perci-

Digitized by Google

peret. Ajunt & Innocentio XII., quamvis
durior ad haec ſtudia hic videretur, ipſum
perplacuiſſe, & carmen condidiſſe, poſtquam
is gravi morbo liberatus eſſet, cujus haec
fuit ſententia: *laetare*, *incolumis Roma*, *ſalvo
Principe*. Voluit quoque Latinarum Muſarum
limen ingredi, ſed non felici adeo ſucceſſu;
quare ſaepe ad Italicas redibat, quae ut libe-
rius vagarentur, praeferre omnibus videba-
tur illud verſuum genus, qui ἄρρυθμοι vo-
cari ſolent. Dedit & luculentum teſtimo-
nium, quantum in lyrica valeret, cum mor-
tem fleviſſet Bavariae Principis, cui Hiſpa-
niarum regnum deſtinatum erat, quo in car-
mine tantam vim nobiliſſimarum imaginum,
tantaque verborum lumina ſparſit, ut invi-
diam Filicajae movere illud potuiſſet. Ne
mireris vero inter ejus carmina plura amato-
ria inveniri, quod ſaepe coactus fuerit *cava
teſtudine aegrum*, ut vetus habet poeta, *ſola-
ri amorem*. De amore quoque theſes publice
defendit vulgavitque, qua in re ſe imitari
Taſſum dicebat, ut hoc exemplo apud gra-
ves viros excuſaretur. Riſiſſe vero credo no-
biles Veronenſes feminas, cum vocatae fuiſ-

ſent ad rerum minime dubiarum faciendam fidem, & cum audirent argumentis & rationibus, quare quidque accidat, doceri. Fortaſſe concio nunquam major fuit, neque lepore & feſtivitate conditior; & cum ferventer de his rebus diſputaret Maffejus, ſatis declarabat ea defendere, quae in ſe ipſo experiri potuerat. Multa enim nobis blandimenta natura ipſa genuit, quibus ſopita virtus conniveret, & cum vix quiſquam lubricas adoleſcentiae vias ſine caſu aliquo & prolapſione ingrediatur, minime iraſci iis debemus, qui falſas voluptates oſcitanter allucinantur. Porro Maffejus levitates hujuſmodi amatorias poſtea non ſine rubore confeſſus eſt, & veniam adoleſcentiae dari rogavit. Quamvis in verſibus quaedam lex ſit, quam ſequi oporteat, ipſe tamen aliquando cogitavit genus quoddam poematis condere, quod omni licentia libertateque frueretur, quapropter ex omni genere poeſis quemdam leporem libare coepit, quo illud ipſum aſpergeret. Pertaeſus poſtea hujuſmodi licentiae, vel potius audaciae, inchoatum opus, cujus adumbratio quaedam ad nos pervenit, ę mani-

bus depoſuit, & fortaſſe tum confeſſus eſt perniciofum eſſe errorem in multis, qui exiſtimant poſſe aliquid novi ad poeſin afferri. Sed felices Redii conatus, qui non multo antea ſuum vulgaverat Dithyrambum, plures potuere in hujuſmodi errorem inducere. Tentavit etiam quid poſſet in carminibus ad muſicam factis, quibus profecto & dulce & tenerum & molle illud deeſſe mihi videtur, quod tantopere in Metaſtaſio admiramur. Cum ſtudioſe collegiſſet Maffejus ipſe omnia, quae adoleſcens condiderat, carmina, ex his profecto intelligi poteſt cum omnibus Muſis rationem habere eumdem voluiſſe, quas etſi non ſemper amicas expertus eſt, in aliquo tamen poetarum numero ipſum habendum eſſe nemo dubitaverit. Neque illud minus laudandum, quod quamcumque praeſtantiam idem conſequeretur, ad utilitatem ſuorum civium referre satageret. Redux igitur in patriam effecit, ne quid hi poſtea ſcriberent, quod non oleret ſummorum poetarum orationem; & quod in univerſa Ciſalpina Gallia dominabantur poetae pingue quiddam ſonantes & peregrinum, elaboravit, ut ii tri-

tas vias relinquerent, & ad exprimendam optimi formam totos ſe converterent. Optaſſet Maffejus, ut vel in Maggio, qui iis in regionibus poetarum princeps habebatur, aliquid reſonaret urbanius & venuſtius, quod judicium Maffeii & ſenſus ſeditionis cujusdam poeticae ſtimulator & concitator viſus eſt fuiſſe. Quare ipſe quidem cur ſic opinaretur rationem reddere ſe debere putavit, ſcriptaque epiſtola ad Garzadorum Comitem, plura exempla ex omnibus Maggii carminibus protulit, in quibus aut ſunt ſententiolae, quas videtur ille peracutas putare, & quae cum ſint iteratae ac pene continuatae, ſuo naturali ornatu orationem denudant, aut inſunt inelegantes, invenuſti, & certe a dictione poetica alieni dicendi modi, praeter illa vitia obſcuritatis, & interdum etiam erroris, dum ſublimia conſectatur. Etſi ſatis clemens eſſet in diſputando Maffejus, ſubiraſci tamen videtur, quod multi iis temporibus magna exemplaria relinquerent, ut Maggii ſimiles eſſent, cui malo niſi opportune conſuleretur, actum omnino de Italica poeſi fore dictitabat. Providit ipſe quidem Vero-

nenſibus ſuis , cum Romanorum Arcadum coetu permittente, nova inſtituta eſſet Veronae Arcadum Academia, ſeu, ut ipſi loqui malunt, deducta in illam urbem colonia, qua in Academia prope cunctis lumen ingenii & conſilii ſui porrigebat ac tendebat Maffejus ipſe. Homo, cui ad illam uſque aetatem nulla jucundior viſa fuerat occupatio quam poeſis, coepit aliarum facultatum amore flagrare; ſed vidit ſibi imitandos eſſe viatores cum properant, qui ſi ſerius, quam voluerint, forte ſurrexerint, properando etiam citius, quam ſi de nocte vigilaſſent, perveniunt quo volunt. Itaque ſe totum in litteras Latinas & Graecas abdidit; & cum introſpiceret penitus in omnes antiquitatis partes, rem tractandam ſuſcepit, quae maximae futura eſſet utilitati reipublicae & voluptati iis omnibus, qui praeteritorum temporum notitia delectantur. Nemo ignorat invectum per Barbaras nationes in Italiam praeſertim morem fuiſſe privatim ulciſcendi privatas injurias, & certamina honoris & dignitatis Rempublicam permiſcuiſſe. Difficile factu videbatur inveteratum malum ex hominum mentibus era-

dicare, quaſi nihil aliud eſſet nobilitas quam, non dicam vim vi, ſed verba paullulum duriora ferro & caedibus repellere. Nihilo tamen minus tentandos homines putavit quo animo acciperent librum, qui cauſſam & originem aperiret tot falſarum opinionum. Quo vero ipſos ad legendum facilius alliceret, non mediocre ſtudium poſuit in adſciſcenda operi quadam elegantia urbanitateque, quae vel ipſis Florentinis Academicis, quos ab Furfure appellant, & quorum in coetum cooptatus fuerat, perplaceret. Erat enim in veteribus ſcriptis ſtudioſe & multum volutatus. Cum propriarum injuriarum ultores humanas divinaſque leges violent, tantum abeſt, ut famae ſerviant, ut hanc potius abjicere videantur; & ii, qui in ſingulari certamine vim eſſe putant ad probandam veritatem, removendamque ignominiae ſuſpicionem, officium omne pervertunt, neque ullam honeſti (quod quidem in fortitudine minime conſiſtit) rationem ſe habere oſtendunt. Hinc bona ratio ſaepe confligit cum perdita & ab illa vincitur, quod ea nunc etiam obtineat ſententia, qua olim uſi ſunt Galli cum reſpon-

ſum darent Romanis pacem ab iis petentibus *: *ſe in armis jus ferre, & omnia fortium virorum eſſe*. Profecto tanta perverſitas opinionum non niſi a Barbaris originem trahere poterat; quod ſic probat Maffejus, ut juxta ſe ponat horum impetus, ferociam & factioſos animos, & miram populi Romani & Graecorum etiam aequitatem in litibus judicandis & injuriis propulſandis. Qui proprius erat Barbarorum, jam communem factum ſaeculo VIII. univerſae Italiae morem fuiſſe animadvertit, omnes ferme controverſias ſingulari certamine dirimendi, & quae ſemina hujus aliarumque hujuſmodi conſuetudinum in Longobardorum, Francorum & Germanorum legibus inveniantur, inquirit. Hinc conſtabilita ſcientia, quae equeſtris vocari ſolet, plura invecta ſunt in mores Italorum a majorum & Chriſtianae religionis inſtitutis abhorrentia, ſublatiſque officiis cognationis, communitatis, moderationis ac magnanimitatis, quae in condonandis injuriis praeſertim conſi-

* *Liv. lib. V. ca. 36.*

ſtit, omnia factionibus, ferro, caedibus & inexpiabilibus hujuſmodi ſceleribus compleri neceſſe fuit. Erant formulae quaedam, quando privata pax concedebatur, quarum veſtigia in Plauto & Terentio Auctor invenit, quamvis ei eſſet perſuaſum incognita prorſus fuiſſe veteribus equeſtris ſcientiae dogmata, hancque non minus auctoritate quam ratione deſtitui. Innumerabilia ſunt argumenta, quibus utitur ad eadem dogmata labefactanda, & cum exprimat praeteritorum ſaeculorum mores, virtutem efferat, omnium rerum, quas tractat, cauſſas & originem patefaciat, exemplar omnibus reliquiſſe videtur ad imitandum in morum diſciplina exponenda. Ipſe quidem effecit, ut permulti, qui antea quaſi ignominiam quamdam & infamiam timebant appeti durioribus verbis, tantum intellexerint his eſſe offenſionis, quantum mens & ratio prudentum hominum, juris atque injuriae regula eſſe pateretur, omnemque offenſionem legum & magiſtratuum praeſidio eſſe vindicandam. Nec mediocre pondus addidit dictis Maffeii, quod ipſe eſſet genere inſignis, quare in cauſſa

aequiſſima illud uſurpare potuit; *nos noſtra corrigimus*; cumque bieunio militaſſet in Bavarorum exercitu ſub fratris, qui ſane magnum nomen habebat, ductu, & pluribus praeliis interſuiſſet, & tractandorum armorum ſatis peritus eſſet, nemo poterat ſuſpicari timiditate atque ignavia adductum illa ſcripſiſſe. Edito jam opere defenſionem illius ſuſcipere debuit adverſus eos, qui negabant omnium Equeſtrium Ordinum originem a *Cruciatis* repetendam eſſe: Conſtantinianum enim ad Conſtantinum ipſum Imperatorem referebant. Facile fuit hos erroris convincere, vulgata *Fabula Equeſtris Ordinis Conſtantiniani*, quo in libello multis argumentis probat Maſſejus meras nugas eſſe illorum, qui ut primordia familiarum auguſtiora facerent, ad Byzantinos uſque Caeſares ipſa referunt. Sed haec & his ſimilia poeticis magis decora fabulis, quam incorruptis rerum geſtarum monumentis tradita refellere nunquam in animo fuiſſet Maffejo, niſi hoc laboris praemium petiiſſet, ut in conſpectu omnium poneret, qui mores priſcis temporibus fuerint, quae imperiorum viciſſitudines, quibus artibus parta no-

ta nobilitas, auctaque familiarum dignitas, ceteraque hujusmodi, quae ſalubria & frugifera ſunt in cognitione antiquitatis. Poſtquam de hominum vita optime meritus fuit Maffejus, levitate, vanitate ac malitia excluſa equeſtris ſcientiae, adjutorem ſe ultro addidit Ludovico Muratorio & Apoſtolo Zeno in conficiendis litteratorum Italorum ephemeridibus; & quod ii ſummi viri prooemium operis praeter alia non pauca a Maffejo petierint, ſatis oſtendiſſe videntur, quanto in pretio ipſum haberent. Scio haec ipſa poſtea cauſſam diſcordiarum fuiſſe, quod non ſatis ſimpliciter & candide ſe geſſiſſe Maffejus accuſaretur in repetendo vulgandoque ſeparatim ſicuti proprium quod commune eſſe debebat, cujus rei cum nullam ſatis juſtam excuſationem attulerit, famam levitatis ex eo fortaſſe collegit, unde laudem ingenii haurire ſe poſſe ſperaverat. Ipſe vero cum praeſertim gloriari videretur, quod copioſe diſſeruerit in iisdem ephemeridibus de origine juris, hac ipſa de re allata a Io. Vincentio Gravina exponens, notam omnibus eſſe voluit ſuavitatem & delectationem, quam in

hujuſmodi ſtudiis capiebat. Ajebat enim plurimam & in omni jure civili & in XII. tabulis antiquitatis effigiem eſſe, quod & verborum priſca vetuſtas cognoſcitur, & actionum genera quaedam majorum conſuetudinem vitamque declarant. Addebat etiam vehementer ſe optare, ut Itali exemplo ſuo commonefacti illam partem prudentiae, quae eſt de civitatibus inſtituendis, de ſcribendis legibus, de aequitate, de juſtitia, de fide, de frangendis cupiditatibus, de conformandis hominum moribus in antiquorum monumentis inquirerent. Ut vero ipſe, quae in hoc genere ab hominibus callidis ac peritis animadverſa ac notata fuerant, facilius cognoſceret, longe lateque peregrinari ſibi propoſuit, quarum peregrinationum fructus ſane uberrimus ei ſemper conſtitit. Admirabantur omnes tantam copiam & ſcientiam rerum in uno homine ineſſe, tantamque cupiditatem omnia inveſtigandi atque noſcendi; ipſe vero jucundiſſima perfundebatur voluptate, cum vel ex bibliothecis aliquid novi erueret, vel abdita & ignorata monumenta in lucem proferret, vel oſcitanter interpretata & negli-
Digitized by Google

genter adſervata in honorem adduceret, atque eruditionis luminibus ornaret. Quare minime eſt mirandum, ſi magnus ille ingeniorum aeſtimator Victorius Amaedeus Sardiniae Rex colligi per Maffejum, diſponi, atque aliqua ex parte illuſtrari voluerit magnam illam vim monumentorum, quae Roma Taurinum afferenda curaverat Carolus Emanuel I., quaeque antea neglecta porticus Archigymnaſii Taurinenſis nunc mirabiliter exornant. Glorioſum quoque illi fuit exſcribere Latinam inſcriptionem, quae eſt in arcu Secuſino; (1) & ſapere pluſquam ceteros & intelligere judicatus eſt, quod de hac re deſperandum eſſe judicaverant ſummi viri An-

D 2

(1) En inſcriptio.

IMP. CAESARI. AVGVSTO. DIVI. F. PONTIFICI. MAXIMO. TRIBVNICIA. POTESTATE. XV. IMP. XIII. M. IVLIVS. REGIS. DONNI. F. COTTIVS. PRAEFECTVS. CIVITATIVM. QVAE. SVBSCRIPTAE. SVNT. SEGOVIORVM. SEGVSINORVM. BELACORVM. CATVRIGVM. MEDVLLORVM. TEBAVIORVM. ADANATIVM. SAVINCATIVM. EGDINIORVM. VEAMINIORVM. VENISAMORVM. IRIORVM. ESVBIANIORVM. OVADIAVIVM. ET. CIVITATES. QVAE. SVB. EO. PRAEFECTO. FVERVNT.

dreas Naugerus, Lucas Holſtenius, Jo. Mabillonius & Petrus Giofredus. Ob has res nunquam Regi ornandi Maffeii voluntas defuit, & apud ſe retinere hominem optaſſet, cujus exemplum ceteris laborum incitamentum, & voces ſtudiorum rectae ineundae rationis illecebrae eſſe potuiſſent. Sed ipſe mori millies (quod etiam Clementi XI. P. M., a quo magnis promiſſis invitabatur, declaravit) quam patriam deſerere malebat, ad quam cum rediiſſet, multorum voces ipſum illexerunt ad condendam tragoediam. Antea oſtenderat quam recte judicaret de celebrioribus tragoedis, cum vitia vel in ipſo Cornelio notaſſet (1): & cum ſaepe quereretur de Italis ſuis, quod non ſolum ſe vinci, ſed pene obrui ſinerent a Gallis in hoc ſcriptionis genere, effecerat ut amici id, quod petebant, exigere magis quam rogare viderentur. Ajunt etiam ſtimulos addidiſſe ſuſcipiendo operi feminã, quae quod bona eſſet actrix &

(1) Vid. Oſſervazioni ſopra la Rodoguna al Sig. N. N. 1700. Rime e Proſe &c. p. 165.

forma non contemnenda, & ingenii bonis praeſtans, facile homines ad ſe diligendam alliciebat. Sed quaecumque ſuerit cauſſa condendae tragoediae, cui nomen eſt *Merope*, talem certe condidit, ut iis palmam eripuerit, qui aetatem omnem in hoc ſtudiorum genere contriverunt. Haec ſcilicet ubicumque locorum acta eſt, fletum ſpectatoribus excitavit; nec tantum cum nova daretur, at decies & centies uſque repetita multitudinis oculos tenere potuit. Quanta ſermonis elegantia, quam crebrae aptaeque ſententiae, quam grata novitas in nectendo, protrahendo ac expediendo nodo, quanta veriſimilitudo narratarum rerum, quam ad vivum expreſſi mores affectuſque perſonarum, quam inopinata filii ac matris agnitio, quanta ex agnitione rerum commutatio, ut omnes partes optime inter ſe junctae colligataeque, ut denique ars cum naturali pulchritudine conjuncta! Erat tum multorum ſententia minime tolerabiles fore tragoedias, quas haud colorarent animarentque amatoriae irae & caſus, ad quos erroris convincendos levitatibus hujuſmodi omnino carere Meropem ſuam vo-

luit Maffejus, in qua tantummodo exultat & triumphat amor maternus. Porro nihil huic laudis detraxit, quod Euripides ſimile tractaverit argumentum, cujus tamen operis nil ad nos niſi fragmenta quaedam pervenerunt, tractaveritque etiam e noſtratibus Torellius Comes, aliique aliarum gentium; nam qui ceteras Meropas cum Maffejana contulerant, & ſine invidia judicaverant, Propertianum illud facile uſurpabant

Neſcio quid majus naſcitur Iliade (1).

Quare minime eſt mirandum, ſi in Gallicum, Britannicum Germanicumque ſermonem ſtatim converſa fuerit, & toties edita, quoties vix liber alius ex officina Italorum. Ipſa vero multos ex ſe peperiſſe viſa eſt liberos,

(1) Propert. II. 23. *66*. Si quis legerit quae Voltairius ad Maffejum ipſum ſcripſit, & quae idem poſtea latens ſub Lindelii nomine, quo impunius dicax eſſet, exaravit, fortaſſe judicaverit indignam eſſe Maffejanam tragoediam ſummis, quas eidem impertivimus, laudibus. Sed Voltairius haud effugit ſuſpicionem invidiae, etiam cum viſus eſt favere laudibus Maffeii.

cum multorum excitaverit induſtriam ad ſimilia tentanda, liberandumque theatrum Italicum crudeli, qua jamdiu premebatur, barbarie. Ab eo ſane tempore plures laudabiles habuimus tragoedias, ſed quae cum Maffejana haud potuere contendere; quapropter minime mirabimur, ſi auctor ipſe, ut egregius artifex, ſuo opere maxime gloriaretur, cujus laudes plurimum augere ſe poſſe arbitrabatur, cum affirmaret duorum menſium ſpatio illud ipſum confeciſſe. Ne quid vero intentatum relinqueret, animum etiam appulit ad ſcribendam comoediam, illud officiorum genus venuſte exagitans, quod dicimus *caerimoniae*, ex quo nomen inditum eſt ipſi comoediae. Hanc dignam Terentio pronuntiavit (fortaſſe nimis aſſentatorie) Hercules Franciſcus Dandinius (1), *quod riſum movet, & quod prudenti vitam conſilio monet.* Omni cura ſervatur mos perſonarum, & capiunt aures dictorum urbanitas & plena facetiarum joca, & ars jacendi mittendique ridiculi ad revocandos homines a conſuetudine

(1) De urbanis officiis p. 35.

plena futilitatis ſummaeque levitatis; quare ubi primum Venetiis acta eſt fabula, clamore maximo illam excepit populus, auxitque poetae ad ſcribendum induſtriam. Re autem, non nomine auctoris commendatam fuiſſe ex eo intelligi poteſt, quod venerit in ſcenam, eodem ignorato. Multum poſt tempus prodiit Poeta novo indutus ſocco, ſed minime felici, ſicuti antea, ſucceſſu, non modo quia dubia eſt fortuna ſcenica, ſed etiam quia hilaritatem illam, qua priorem comoediam aſperſerat, ſenex factus amiſiſſe videbatur. Deridere autem illos ſibi propoſuerat, qui transferunt dicendi modos ex alienis linguis in Italicam, & nihil ferme loquuntur quod non oleat peregrinum. Quod quidem malum quotidie magis apud nos invaleſcere dolemus. Neque hic ſtetit Maffeii cura. Etenim quidquid putavit eſſe dignum memoriae, quod perfecerant manus majorum noſtrorum, & a quoaberat ſubobſcaenum ridiculum (nam emendatio morum, non corruptela, finis eſſe debet comoediae) effecit, ut theatro redderetur: nec minus curavit, ut populo iterum placerent, quas nobiliores poetae con-

diderant, tragoediae, quaeque penitus inveteraviſſe videbantur. Harum duodecim numero collegit (1), quarum virtutes dum extulit, facile fuit oſtendere, quantum Itali a gravitate majorum degeneraſſent. Omnino mens ei erat, cum praefaretur, hiſtoriam theatri Italici breviter exponere, & indicare quae praelucere debebant novis ſcriptoribus exemplaria & praecepta, ne in difficillimo itinere deerrarent a via. Quod profecto nunquam ſuſcepiſſet, niſi ſcriptis ſuis eo jam rem deduxiſſe cognoviſſet, ut palam & cum certa ſpe victoriae pugnare poſſet. Studuit etiam poſtea placare ſeveritatem frontis hominis Dominicani, qui probrum caſtis, labem integris, infamiam bonis a theatro inferri quovis pignore contendebat; quapropter tantum is aberat a laudando Maffejo, quod theatri Italici corrector & emendator eſſe elaboraverit, ut hac de cauſſa quaſi notam turpitudinis (inurbane ſane, ne dicam impuden-

(1) Laus debetur Maffejo, quod tum primus omnium ediderit Oreſtem Oricellarii, cui ſane nobiliſſimae tragoediae ſecundum poſt Triſſini Sophonisbam locum merito aſſignavit.

ter, ut multa) ejus vitae inurere conatus fuerit. Quamvis multi laudabiliorem fuiſſe defenſionem judicaverint, attamen accuſatio etiam probata fuit, quod plerique partium, non veritatis ſtudio ducantur. Nemo vero nunc eſt, qui in Concina illum effrenatum furorem, quo omnes in ſuas ſententias pertrahere conabatur, minime reprehendat, & hominum honeſtiſſimorum teſtimoniis non fateatur non modo ſe non contaminaſſe Maffejum, edita Merope, ſed etiam famam honorati & probi hominis ſibi auxiſſe. Quid eſt enim laudabilius quam homines a corrupta ad bene moratam diſciplinam traducere, nihilque vel in ſcena probare ſolere, quod non ſimplex, non candidum, non rectum, non denique utile ſit? Utinam plures Maffeii ſimiles haberemus, qui ſe pene operam perdere arbitrabatur, niſi cum aliorum utilitate eſſet conjuncta. Quare multi ut magiſtrum intuebantur, multi illum aemulari, multi illius inſtare veſtigiis, & praecepta ſequi in omni fere diſciplina ſibi proponebant. Praeclarum eſt ſingulis in rebus unum aliquem excelle-

re; at quanto praeclarius reperiri hominem, qui quaecumque in diſceptationem cadunt, innumerabilia ſane ac nullis prope terminis definita, animo univerſa comprehendat! Si quis hoc fieri poſſe negaret, ad Maffejum deducebatur (nemo vero illo facilior erat in audiendis admittendiſque hominibus, cum citius fortunae ſuae, quam humanitatis obliviſceretur) & cum nulla ex parte imparatum ipſum offenderet, ſed contra omnibus doctrinis & artibus inſtructum admirari cogebatur. Ut eos convinceret, qui ſe aut inexercitatum aut rudem in phyſicis arbitrabantur, de fulminibus ſcribendum ſuſcepit. Cauſſam ſcriptioni dedit, quod in maximo imbri animadverterit naſci eo loco fulmen, in quo cum paucis ſermocinans ſedebat. Viſus eſt primo ceruleus & ſubalbicans ignis, qui cum in majorem dilataretur flammam, abiit tandem verum in fulmen, cujus aſcendentis ictus ſuperiori in conclavi apparuerunt. Ex hoc inferre ſe poſſe putavit fulmina minime nubium conflictu, ut erat omnium ferme philoſophorum ſententia, ad

nos e caelo venire, ſed e terrae vaporibus praeſertim ſulphureis & nitroſis genita in ſublime ferri. Rem tum ignoratam patefecit Maffejus (1), & cum in eo elaboraret, ut inclinaret omnia ad cauſſae ſuae commodum, longius proceſſit, quaſi nullum omnino fulmen de caelo laberetur. Scimus enim utramque rem accidere, ex materia ſcilicet electrica conflata fulmina quandoque ad ſuperiora ferri, quandoque e regionibus illis, in quibus nubes, imbres ventique coguntur, ad terram deſcendere. Obſervata a ſe ſe Maffejus primum expoſuit Antonio Valliſnerio, quo neminem tum cariorem habebat; mox cum ad eamdem rem ſaepe rediret, plures

(1) Qui hanc laudem detrahunt Maffejo, ajunt hujus ſententiae veſtigia haud obſcura apparere in libro Benedicti Raſcineſii edito Piſis an. MDCLXXXXIX. cujus eſt inſcriptio: *La Filoſofia a roveſcio: Dialogo intorno agli elementi per cagione del fulmine*, cujuſque meminit Maffejus ipſe. Quid ni etiam aliquid hujuſmodi indicaſſe Senecam arbitrabimur eo loco, quo diverſa fulminum nomina explicat? Ait enim Nat, Quaeſt. lib. II. cap. XLIX. *Inferna, cum e terra exiliunt ignes.*

conſecit epiſtolas, quas *fulgurales*, ut libros quoſdam ſuos veteres Tuſci, quibus ſumma perſequendorum fulminum erat ſcientia, appellare ſe poſſe putavit.

Hoc eſt igniferi naturam fulminis ipſam
Reſpicere,

gloriabundus ad amicum ſcribebat, quaſi ipſe omnia illa inveniſſet, quae nunc non modo cauſſam probabilem, ſed etiam certam reddunt ortus fulminum, horumque proprietatum. Non ei quidem incognita erant multa, quae ad electricitatem pertinent, nec aliena modo, ſed & ſua quaedam hac de re refert experimenta in epiſtolis ad Riccardum Meadium & Marcum Foſcarenum, quibus plauſere ſapientiores philoſophi. Nihilo tamen minus multa ignoravit, quae ſummi doctores Franklinius & Beccheria poſtea protulerunt in lucem; ad quorum ſententias docilem ſe profecto praebuiſſet, cum ei eſſet jam perſuaſum vere dictum a Grayo philoſopho ſane eximio *electricum ignem ejuſdem eſſe*

naturae , *cujus ille fulminum & fulgurum* (1).
Quoniam vero minime dubitabat ipſe fieri interdum, ut ſine tonitru, & cum ſudum eſt ob coacervationem materiae, quae fulminibus dat cauſſam, fulmina ipſa exiſtant, facile explicare ſe poſſe putavit, cur Caeſenates mane aliquando miſerandum viderint cinerem nobiliſſimae feminae, quae tranquilla & ſerena nocte incolumis cubitum iverat. Multa alia phaenomena referebat ad igneam vim Maffejus, neque a propoſito ſe multum aberrare judicavit, cum agens de fulminibus rationem reddidit, quare tot marina corpora in Veronenſibus aliiſque montibus exiſtant. Hos enim montes, accenſis ſubterraneis ignibus, ex mari erupiſſe contendebat. Sed quamvis prolata a Maffejo ſententia de fulminum origine aliquam ei conciliaverit gloriam, ut quae multorum certe philoſophorum excitavit animos ad experiendum diſputandumque, non auſim tamen ipſum in nobilium phyſicorum numero collocare, quamvis ad hanc quoque gloriam idem aſpiraſſe

(1) Vid. Tranſact. Anglic. an. 1735.

videatur. In eo glorioſiſſime ſane poterat triumphare, quod ad antiquitatem explicandam pertinet, cujus artis antiſtes & quaſi Deus putabatur. Quoad vixit, nunquam ejus monimenta colligendi finem fecit, & cum lauta hujuſmodi ſupellectile domum & muſeum ornaſſet, ridere eos videbatur, qui famulorum turba, ſtragulis, auro, argento, ceteriſque ſimilibus rebus gloriantur. Plura jam paraverat, quibus non monumentum aliquod ſeparatim explicaret, ſed artem & ſcientiam quodammodo efficeret, & in tanta copia rerum a ſe collectarum cum haeſitaret, a quibus initium duceret, hortantibus amicis, primum edidit *Hiſtoriam Diplomaticam*, mox gradum facturus ad Etruſcas, Graecas & Romanas antiquitates. Quanquam & his quoque opus habuit ad ipſam artem criticam Diplomatum tractandam, ut ex rebus in illa contentis intelligi poteſt. Nam praeter quam quod propoſitum ei erat oſtendere Diplomata in uſu fuiſſe vel apud antiquiſſimas nationes & praeſertim Etruſcos, Graecos, & Romanos, eorum nonnulla ſic explicat, ut ex iis cognoſci poſſit quas formulas dicendique mo-

dos mutuaverint poſteriorum temporum homines. Ad hos enim referre debemus originem chartarum, quae proprie diplomata appellari ſolent, quarum antiquiſſimam, quae ad nos pervenit, quaeque in poteſtate tum erat Auctoris, ex Conſulum nominibus anno CCCCXXXXIV. vel eo qui conſecutus eſt, ſcriptam eſſe apparet. Poſt hanc ceteras vetuſtate nobiles ſingillatim enumerat, quae quidem omnes ſunt papyraceae. Nam quamvis in uſu tum quoque eſſent membranae, ut ex multis manu ſcriptis codicibus noſcere licet, nunquam tamen adhiberi ſunt coeptae ad ſcribenda diplomata ſeu inſtrumenta niſi ineunte ſaeculo VIII. Hic opportuna occaſio viſa eſt Maffejo de papyris eorumdemque varia conficiendorum ratione pluribus diſſerere, & cum non pauca ſumat a Plinio, qui rem hanc tribus ſolidis capitibus tractavit, plura ejusdem ſcriptoris loca depravata, & quae vel ſummos homines Salmaſium & Harduinium effugerant, feliciſſime ſane emendat. Diſputabatur tum acerrime, num in arborum corticibus ſcribi etiam diplomata conſueverint, & negat Maffejus

non

non uno argumento ductus affirmans ex corticibus tabulas quidem & pugillares, minime vero ut ex papyris chartas latas, exiles, flexiles, & quae facile in volumen circumagi poſſent, confectas unquam a veteribus fuiſſe. Uſum papyrorum ante milleſimum aerae Chriſtianae annum omnino ceſſaſſe Maſſejus contendit, quamvis poſt illa tempora interdum papyri nomine donentur chartae ex goſſipio fabricatae. His ſucceſſere lineae, quarum inventores Itali fuerunt, neque ſe noſſe antiquius inſtrumentum ait in illis exaratum *Inveſtiture* quadam *Decimarum*, quam an. MCCCLXVII. a Petro Veronae Epiſcopo Gregorius Maffejus obtinuit, quae, quod plurimum valeat ad illuſtrandam domeſticam nobilitatem, gratiſſima Scipioni eſſe debebat. Iam vero ſi quaeras, qua de cauſſa poſterioribus ſaeculis acta & diplomata *adnotationum, auctoritatum & beneficiorum* nomine appellata fuerint, qui his conficiendis adſervandiſque praefuerint, qui in iisdem colligendis elaboraverint, & innumera alia hujuſmodi mirifice praeteritorum temporum hiſtoriam illuſtrantia, adeas Maffejum, qui ſane poſt Ma-

billonium multa nova protulit, quin propterea tamen artem criticam diplomaticam ſe confeciſſe exiſtimaverit. Hujus ſpeciem & formam in extremo praeſertim libro ſe adumbraſſe gloriabatur, nec ſe modo, ſed & homines eruditione illuſtriores (immenſum enim erat opus) ad illam perficiendam excitaſſe. Sed cum ſeviſſet Maffejus, quae adulta fructus uberrimos ferre debebant, convertit alio cogitationes ſuas, quaſi natura in hoc tam exiguo tamque brevi vitae curriculo immenſum ei gloriae campum aſſignaſſet. Nunquam tamen monere deſtitit illos, qui in his ſtudiis adlaborabant, ne cui diligentiae parcerent in ſeparandis veris a falſis, in illuſtrandis obſcuris, omnibuſque ad ſua tempora referendis, quod fieri non poſſe ajebat ſine multorum ſcriptorum ſeu diplomatum comparatione. Ut autem ſpecimen quoddam ipſe praeberet immenſi operis, quod parabat, in quo omnium aetatum diplomata a ſaeculo V. incipiens ad XV. deſinens colligere meditabatur, ut in comparatione faciles certaſque vias ad judicandum homines haberent, medio in opere exſcripſit quotquot vi-

dere potuit papyraceas chartas, quarum pleraeque incognitae erant, vel quia ſcrupuloſius adſervabantur, vel quia de iis non dicam explicandis, ſed vel legendis deſperandum eſſe judicabatur. His addidit veterem rythmum de ſtatu Veronae eo tempore, quo apud eam morabatur Pipinus Rex, quem omnium primus Mabillonius in vulgus ediderat; ſed hic egebat medica Maffeij manu, ut quid rei eſſet, quantoque in pretio eſſet habendus, intelligi poſſet. Antea quidem negligenter nimium, ne dicam oſcitanter, aliorum ſecutus errores de eo ſermonem habuerat Maffejus ipſe (1), quare ut ſe ceteroſque corrigeret, illum in publico iterum propoſuit, & quo ornatius prodiret, auxit eumdem diſſertatione de verſibus rythmicis, a quibus non admodum diſcrepaſſe putat ſaliares verſus, ſaturnios, & quos inconditos Livius appellavit (2). Ex hoc enim illud

(1) Vid. ejus epiſt. in additionibus ad Hughellium, quae iterum impreſſa fuit ad calcem Complexionum Caſſiodorii.

(2) Quamvis morem ſcribendorum carminum rythmicorum imitatione dignum minime eſſe affirmet Maf-

convinci putavit non a Barbaris, quod erat in omnium ſermone, ſed a veteribus Romanis rythmorum originem eſſe repetendam. Plaudente populo Veronenſi, inquirebat Maffejus ſtudioſiſſime omnia illa, quae quomodocumque ad patriam hiſtoriam illuſtrandam pertinebant. Ipſum integrum opus de hiſtoria diplomatica ab eo patriae amor obtinuit (1). Quidquid enim Veronenſium mo-

ſejus, exemplum tamen hoc loco carminis hujusmodi a ſe ex tempore conditi affert, quod quidem Latinas veneres habet, & ad miſerandam ſortem moeſtiſſimorum parentum, qui uno eodemque die binos amiſere liberos, aptiſſimum eſſe videtur. En carmen ipſum.

Infans vigebat pulchellus, anniculus;
Florebat una puella iam trimula.
Amore inter ſe mutuo, riſu, jocis
Matrem patremque delectabant unice.
Hos dum vividius vernant, ac ſpem fovent,
Dies una, heu una ambos, dies ſuſtulit:
Attonitorum in conſpectu parentium,
Queis in ſolamen nulla eſt proles reliqua.
Compeſce, ſi potis eſt, qui legis, lacrimas.

(1) *Mi ſarà altresì diſtintamente a cuore l' iſtoria della mia patria, che fin' ora è in profonde tenebre;*

numentorum alii in lucem emiſerant, tot foedatum erat erroribus, ut rideri a peritioribus merito poſſet; quare iniit conſilium omnia per ſe videndi exſcribendique, & artem quamdam efficiendi, quae in difficillimo & longo itinere tute ceteros veluti manu duceret. Majoris operis ſpecimen quoddam fuit libellus, quem viginti dierum ſpatio confectum an. MDCCXIX. vulgavit cum hoc titulo: *Dell' antica condizion di Verona ricerca iſtorica*, in quo quamvis haud pauca ſint ad oſtendendam dignitatem & amplitudinem Veronae vel ab anti-

poichè con una particolare, che ſi liberi dai comuni pregiudizj, gran ſuſſidio può recarſi a tutte le altre, e all' universal d' Italia; e tanto più che da tal penſiero preſe incentivo la preſente opera: poichè avendo io l' anno ſcorſo intrapreſa la ſtoria di Verona, giunto a que' tempi, dove dai ſoli documenti può ſperarſi ajuto, trovai che i Veroneſi più antichi dati fin ora in luce, benchè citati più volte e ricevuti dai più celebri uomini, o ſono interpolati o ſon falſi. Quinci conobbi neceſſario il far di nuovo e con più attenzion negli Archivj quella ricerca, che fu per altro il mio primo paſſo nel rivolgermi a nuovi ſtudj. (Iſt. Deplom. p. 120,).

quiſſimis temporibus idonea, id tamen in primis ſpectaſſe Auctor videtur, ut Brixianis gloriolam eriperet jactandi Catullianum illud diſtichon,

> *Flavus quam molli percurrit flumine Mela;*
> *Brixia Veronae mater amata meae.*

Magna inde orta eſt controverſia inter Maſſejum ipſum & Paullum Galeardum Brixianum, qua in controverſia Jo. Antonius Vulpius Ciceronianum illud uſurpare potuit (1): *Ego tanquam criticus antiquus judicaturus ſum, utrum ſint* (verſus ſcilicet illi) τοῦ ποιητοῦ *an* παρεμβεβλημένοι. Ut probaret Maſſejus eos verſiculos adulterinos & adſutos fuiſſe, hos non ſolum hiſtoriarum veritati, ſed etiam Latinae linguae proprietati, ipſi denique Catulli genio atque elegantiae omnino repugnare dicebat. Neque ſane ex ejusdem ſententia difficile fuit in fraudem homines inducere. Nam cum illius poetae unicus tan-

(4) Famil. lib. 9. ep. 10. Vid. Vulpii Commentaria in Catullum p. 374. & ſeq.

tum codex forte fortuna an. MCCCCXXV. e tenebris prodiiſſet, & hic, ex quo ceteri omnes, qui nunc extant, propagati ſunt, neſcio quo fato e conſpectu hominum ablatus prorſus evanuerit, potuit Brixianus aliquis, vel certe Brixianis favens, cum poemata Catulli deſcriberet (quod ante inventam typographiam plures praeſtiterunt) diſtichon, de quo lis eſt, elegantiſſimo poetarum ſupponere. Quidni potuerit? Sed cum in codicibus nonnullis hi duo verſus minime appareant, potuit etiam Veronenſis aliquis, (ſi Superis placet) in novo Catulli codice parando occupatus eosdem omittere; quod ſane cum facilius erat, neque enim aut ingenio, aut meditatione ulla ea res indigebat, tum etiam veriſimilius videtur. Brixianis enim (aut ego fallor) nulla cauſſa fuit, cur vera & illuſtria patriae ornamenta falſis laudibus neque neceſſariis cumulare aggrederentur: Veronenſes contra hortari potuit ad omittendum ſtomachus atque iracundia, quod ſcilicet Veronam urbem & natura & ſitu & deſcriptione aedificiorum, & pulchritudine & divitiis in primis nobilem Brixiae unquam ceſſiſſe, aut

Digitized by Google

ipſi uti Cenomanum matri obnoxiam fuiſſe neque ſibi perſuadere poſſent, idque a poeta litteris mandatum graviter atque iniquo animo ferrent. Quod ad hiſtoriam attinet, optime cum ea conſentire putat Vulpius Catullianum diſtichon, neque hoc modo, ſed univerſam elegiam, ſi quod aliud poetae carmen, candidam, urbanam, omnique Latini ſermonis elegantia venuſtateque affluentem eſſe. Nec erat, ut in mala cauſſa, Vulpius imparatus ad reſpondendum omnibus iis, quae Maffejus nimio certe ſtudio ductus in patriam poterat in medium afferre. Effecit itaque judex ſapientiſſimus, ut facile verum a falſo internoſceretur, quamvis dixerit a pronuntianda ſententia ſe abſtinere: ſatis tamen ſe mirari non poſſe ait doctos viros, qui tot clamores ediderunt in accuſando illo diſticho, non animadvertiſſe verba *Veronae meae* dandi caſu fortaſſe uſurpata fuiſſe, atque ita & locutionem elegantiorem longe fieri, & Veronenſibus nullam ſupereſſe cauſſam, quamobrem horum verſuum auctori tantopere ſuccenſeant, quod ipſorum patriam Brixia minorem vel facere, vel fateri voluerit. Nulla enim jam inſtituetur Brixiae cum Ve-

rona comparatio, ſed tantum eas amaviſſe inter ſe hoc pentâmetro ſignificabitur. Rediit mox Maffejus ad hanc quaeſtionem, cum magnum opus *Verona illuſtrata* inſcriptum edidiſſet, cujus in ingreſſu quodammodo ſibi certamen cum omnibus iis fore declaravit, qui revocaſſent in dubium Veronae ultimam originem Etruſcis, amplitudinem vero ejusdem Euganeis & Rhaetis deberi, atque propterea ipſam nihil commune cum Genomanis, quorum caput erat Brixia, ceteriſque Gallis habuiſſe. Quod homines doctrina praeſtantes aliter exiſtimaverint, cauſſas erroris aperuit, & nullius eſſe negotii ait eorum captioſa argumenta ſolvere. Quoniam vero res Veronenſium cum Venetis erant adeo conjunctae, ut illorum urbs Veneta & haberetur & eſſet, utramque hiſtoriam conjungendam Maffejus eſſe putavit, ſolertique viro magnae curae fuit, ut nihil ex ſuo judicio, omnia ex monumentis antiquitatis expromeret. Jam vero quanta fuerit Venetiarum magnitudo vel ab antiquiſſimis temporibus, ex eo conjici poteſt, quod CCCC. anno ab Urbe condita Veneti Gallis Senonibus

Roma vel reverſis, vel repulſis ſe ſe oppoſuerunt. Perpetuam fuiſſe feliciſſimae Reipublicae libertatem non uno argumento probare nititur Maffejus, & ex paucis, quae attulit (quod eſt Foſcarenii judicium graviſſimi & viri & hiſtorici) conjici poteſt (1), niſi eidem voluntas defuiſſet, huic abunde univerſae ipſum ſatisfacere potuiſſe quaeſtioni. Quod ad Veronam pertinet, ipſam quidem cum ceteris Togatae Galliae urbibus veluti ſociam adſcriptam Romano Imperio circiter an. U. C. DXXXIV., ſed non propterea ſua ſpoliatam libertate fuiſſe contendit. Nam urbes illae veras in Provincias minime deſcriptae fuerunt niſi poſt Cimbricum bellum; quanquam interdum extra or-

(1) Eo in loco aurei ſane operis *della Letteratura Veneziana*, ubi refert nomina illorum, qui confutandum ſuſceperunt *lo Squittinio*, ait: *Il Sig. Marcheſe Scipione Maffei entrò in queſta tenzone, ſebbene di traſcorſo nella ſua Verona illuſtrata. E ſe per tempo un uomo di tal fondo vi ſi foſſe meſſo da dovero, il nome di quel libro* (Riſpoſta ad un libello intitolato Squittinio della libertà Veneta del P. D. Fortunato Olmo Vol. VII.) *ſarebbe affatto ſvanito*.

dinem illo mitterentur vel Conſules, vel Praetores bellorum, ſeditionum aliarumque rerum publicarum cauſſa. Ex eo tempore, quo jus Latii Tranſpadanis civitatibus dari coepit, ut hac communione Romanorum nomen augeretur, Verona a Pompejo Strabone an. CCCCCCLXVI. facta eſt Colonia Latina, neque multo poſt civitate Romana & ſuffragiorum jure donata. Quando Triumviri omnia miſcebant, Antonii partes ſecuta multas ferre debuit calamitates, ſed brevi veteris dignitatis ſuae ſplendorem recuperavit. Id praeſertim ex eo intelligi poteſt, quod vetera monumenta teſtentur, ipſam habuiſſe Decuriones & Plebem, Comitiorum locum, Capitolium, Equeſtris Ordinis homines, Collegia, ceteraque hujuſmodi, quae propria erant Romani populi, cujus, ut ait Gellius, *quaſi effigies parvae* eſſe videbantur inſigniores Coloniae. Nec minus quando omnia ad unius poteſtatem redacta fuere, florebat Veronenſium civitas, quae magna a Martiali, copiis valida & exemplo & opibus clara a Tacito appellatur; cui ſane gloriae non mediocre pondus addebant homines doctrina praeſtan-

tes, quos ipſa ediderat (quae enim civitas non gloriaretur Catullo, Nepote, Vitruvio, & Plinio ſecundo?) & aedificiorum copia & amplitudo, ex quorum ruderibus nunc etiam, quae fuerit antiqua nobilitas, conjici poteſt. Quae nunquam antea expugnata fuerat, ceſſit tandem victricibus Conſtantini Magni armis anno duodecimo ſupra tercenteſimum aerae Chriſtianae, quam victoriam tanti ipſe fecit, ut ab eo tempore Indictionum initium ducendum judicaverit. Poſt illa etiam tempora videas Veronenſes novis ſuperbientes honoribus, & quamvis, irrūpentibus Gothis ceteriſque Barbaris nationibus, ſingularibus calamitatibus univerſa fuerit afflicta Italia, aliqua tamen priſtinae dignitatis retinuiſſe veſtigia Verona videtur. Qua eloquentia eorum crudelitatem expromit Maffejus, quam in nobiliſſimas urbes adhibuerunt, & qui non ſolum populis, ſed parietibus, tectis, columnis, ſignis horrificum quoddam & nefarium, omni imbutum odio bellum intulerunt! Quae dum perſequitur omnia Maffejus, non ſolum ei propoſitum fuit laudes illuſtrare patriae ſuae, qua nihil ei erat ju-

cundius, ſed in conſpectu omnium ponere, quae eſſent jura Municipiorum & Coloniarum, quibus magiſtratibus & legibus regerentur, qui cives Romani in Colonias Latinas proficiſcerentur (1), quae fuiſſet ſors univerſae Ciſalpinae Galliae ante & poſtquam funere elata fuit Romana Reſpublica, quae totius Italiae diviſio, fortuna, viciſſitudineſque uſque ad Caroli Magni tempora, quae jura de feudis ſancita fuere, & unde eorum origo & nomen, in quibus omnibus exponendis tantam eruditionis copiam, tam acre judicium in perpendendis veteribus monumentis, & in ſeparandis veris a falſis, tantam demum cognitionem omnis antiquitatis prae ſe fert, ut exclamare cogaris, nihil fieri po-

(1) Cum plurimum gloriari videretur Maffejus quod diſtinguendas docuerit *Romanas Provincias a geographicis, proptereaque Metropoles regionum & gentium fuiſſe, minime vero Provinciarum a Romanis ob Praeſidum ſuorum adminiſtrationem conſtitutarum*, multi in hanc ſententiam inſurrexerunt. Sed ipſe ſe idcirco nova proferre dicebat, ut facilius homines ad legendum alliceret. Vid. ejus epiſt. IV. in antiquitatibus Galliae ſelectis.

tuiſſe melius, & illuſtre ſuppeditatum exemplum, quod omnes ſequantur in contexendis urbium hiſtoriis. Vitioſam & corruptam conſuetudinem onerandi aedificia ineptiſſimis & puerilibus ornamentis neque a Gothis, neque a Longobardis, ſed ab ipſis Italis novitatis amatoribus originem traxiſſe putat, linguam Italicam minime natam ex Germanicae linguae mixtione (1), ſed ex abjectione conſonantium, quae in fine verborum fieri coepit, antequam Barbarae gentes Italiam invaderent, neque has ipſas gentes propriam quamdam formam litterarum invexiſſe, & quas Gothicas & Longobardicas dicimus, vere Latinas eſſe mala conſuetudine & ſcribarum feſtinatione deformatas. Atque haec ut

(1) Apoſtolus Zenus ſane harum rerum intelligens judex in notis ad Fontanini Eloquentiam ait (Tom. I. p. 32.) *Di quanti ſcriſſero contro tal opinione, niuno con più di nerbo e di forza ha trattato queſto argomento, quanto il Sig. Marcheſe Scipione Maffei.* Igitur haud dubitari poſſe ait poſt prolata a Maffejo, *che i popoli Settentrionali ampliarono bensì di alquante voci la noſtra lingua, ma non mai le diedero l'eſſere e la forma.*

& alia hujuſmodi multa in I. operis parte. Pars II. ſcriptoribus Veronenſibus tribuitur, quorum a Catullo ad ſuam uſque aetatem octingentos ferme ordine enumerat, & ſcripta refert, quibuſque ſe ipſum ſecurus immortalitatis addere quoque potuiſſet. Quam vero eſſet antiquitatis amator, & quam diligenter ipſam habuerit cognitam, ex parte III. operis praeſertim conjici poteſt, in qua de antiquis aedificiis ceteriſque, quae in urbe ſua viderentur admiranda, agit: ſed hoc loco multa etiam complexus eſt, quae ad indolem, mores, vires, divitias, commercium, jura, leges, ac magiſtratus populi Veronenſis pertinent. Ceterum quia nihil nobilius in univerſa Italia amphitheatro Veronenſi exiſtimatur, de quo ceteriſque amphitheatris Maffejus ipſe quadriennio ante librum ediderat, hunc iterum vulgandum judicavit. Poſtquam ſpectacula gladiatoria crudeli populo crudelioribuſque Imperantibus in deliciis eſſe coeperunt, lignea amphitheatra aedificata ſunt, primuſque Veſpaſianus fuit, qui lapideum infinitis ſumptibus Romae faciendum curaverit, quod ab ejus magnitudine, amplitudi-

neque Coloſſeum appellatum fuiſſe Maffejus arbitratur. Quoniam ad Romani populi exemplum ceterae nationes facile conformabantur, ubique ferme mos invaluit edendi ſpectacula gladiatorum & ferarum, ſed non propterea, ut a multis falſo creditum eſt, omnes Imperii urbes ſuis ornabantur lapideis amphitheatris. Horum perpauca habuit Italia, & vix quatuor in ea Maffejus enumerat, quem numerum alii deinde ſcriptores ampliavere, cui ſententiae (ut, quod ſentio, dicam) me quoque ſubſcriptorem facile habebunt. Veronenſe quidem cetera, ſi Romanum excipias, pulchritudine & magnitudine ſuperat, ſuſpicaturque Maffejus a populo Veronenſi vel ante Hadriani imperium illud conditum fuiſſe. Triſtem quoque fortunae vicem ipſum conqueri debuit, cum nulli vel nobiliſſimo monumento unquam peperciſſet Barbarorum crudelitas. Quam minutus vero fuerit in deſcribendis omnibus hujus aedificii partibus, quanta diligentia providerit, ut ad ſuum veterem ſplendorem & formam illud reſtitueretur, veteribus reliquiis multa nova addens, quod neſcio an omnes probaturi ſint, facile ii judica-

dicabunt, qui norunt nihil non obtinuiſſe a Maffejo patriae multis ſane nominibus nobiliſſimae pietatem. Quoniam vero ei mos erat multarum rerum origines declarare, quae ſpectacula gladiatoriis ludis ſucceſſerint, cauſſamque ab iis habuerint, erudite ſane inquirit. Hinc ex. gr. diſces ex andabatis, quod genus erat Gladiatorum equeſtrium, haſtata illa certamina tot poetarum carminibus celebrata, & tot Regum ſavore provecta, ortum duxiſſe. Plura, quae carptim attigi, indicio eſſe poſſunt tantam varietatem, magnitudinemque rerum ornare hoc opus, ut parem copioſiſſimo ingenio ſuo Maſſejum ſibi ſumpſiſſe materiem affirmare debeamus. Hoc autem erat votum illius, magnis propoſitis exemplis, excitare animos ſuorum civium ad retinendam priſtinam dignitatem, & provocare multorum induſtriam ad nobiliſſimarum urbium hiſtoriam conſcribendam. Opus omnibus pene numeris abſolutum dixeris, quod cum dedicaſſet Venetae Reipublicae, laboris fructum reportavit haud mediocrem creatus ab ea *Deductor militum* (1),

(1) Veneti appellant *Condottiere d' uomini d' arme*.

quod quidem munus magno habetur in pretio, quia niſi paucis ac fere totius Venetae ditionis primoribus civium deferri ſolet. Veronenſium vero nemo fuit, qui illum non complecteretur, & certatim laude cumularet, quod adeo patriae gloriae conſuluerit; & hac quoque laude populus ille maxime gloriari videbatur, quod ab Etruſcis oriundus eſſet, quod ante Maffejum nullus fortaſſe affirmaverat ob ignorationem earum rerum, quae ad antiquitates Etruſcas pertinebant. Deſertarum relictarumque rerum patrocinium ſuſcepiſſe Dempſterus videbatur, edito opere de *Etruria Regali*, quod ſic acuit multorum ſtudium ad inquirenda veterum Etruſcorum monumenta explicandaque, ut ad noſtram uſque illud vigeat aetatem. *Ego ne*, ajebat Maffejus, *ſpectatorem me praebebo otioſum alienae induſtriae, cum & pateat omnibus ampliſſimus gloriae campus, & plurimum ad patriam hiſtoriam illuſtrandam pertineat?* Et ea ſane praeſtitit, quae eruditiſſimorum vocibus maxime celebrata fuere; de quibus cum ſim paullo latius dicturus (quod facile Etruſco homini condonabitur) rem ab eo anno re-

petam, quo Florentiae diu egit Maffejus; quo tempore & de arte critica lapidaria & de Etruſcis originibus & de aliis quibusdam, quae ſerius edidit, magnum neſcio quid animo concipere ac moliri coepit. Florebat tum urbs ingenioſiſſimis & doctiſſimis civibus, quorum conſuetudine mirifice homo ſciendi avidus delectabatur; Andreinium colebat, conveniebat Salvinium, ejuſque dicta quaedam memoria digna, ne animo exciderent, adnotabat; vivebat familiariter cum Bonarrotio, quem & vivum dilexit ſemper, & mortuum juſto elogio exornavit. Qui cum Dempſteri editionem per eos dies appararet, adderetque operi Dempſteriano, quae ad res Etruſcorum planius illuſtrandas facere judicabat, fama eſt, Maffejum non modo noviſſe totius operis molitionem, ſed ea ipſa, quae an. demum MDCCXXVI. edita ſunt, magna ex parte perlegiſſe, atque in adverſaria ſua tranſtuliſſe. Atque eam rem Gorius, cum Maffejum ſcriptis inſectaretur, in maledicti loco poſuit, quaſi homo callidus, Dempſteri ſcriniis & Bonarrotii compilatis, de Etruſcorum hiſtoria ſcribere ſit aggreſſus. Ego vero una

in re Scipionem reprehendendum puto, quod nimis cupide elaboraverit, ut homines crederent ſe ante ceteros mortales de illuſtranda illius populi antiquitate cogitaſſe. Ceterum ſi Dempſterum antea legit, quam in vulgus ederetur, ſi multa ex ea lectione ſibi ſepoſuit, queis tractationem ſuam faceret pleniorem, facile apud eos judices excuſabitur, qui Dempſteri *Etruriam Regalem* cum Maffejana de *Italis primitivis* diſſertatione inter ſe conferent. Etenim prior ille auctor binis voluminibus ea de Etruſcorum natione diſputat, quae ſi ad trutinam ſingula revocentur, non ita paucae apochryphorum ſcriptorum auctoritates ſeponendae, multa quae ad univerſam Italiam pertinent, ab Etruriae hiſtoria ſejungenda, plurima, quae ad fabuloſa tempora vel etiam ad Romanorum inſtituta pertinent, omnino rejicienda ſunt: quae vero & opportune dicta & probabiliter inveneris, in iis & ordinem quemdam illuſtriorem, & uberiorem argumentorum & auctoritatum copiam ſaepe requiſiveris. Contra ea Maffejus breviuſculo illo Commentario nihil niſi χριτιχοτατως, nihil niſi proprie diſtin-

ꝸe, enucleate ſcribit; veterum loca complura, quae Dempſteri diligentiam ſubterfugerant, profert, eaque non tam enumerat, quam appendit judicio quodam & ratiocinatione ſingulari. Quae vero a magno illo Bonarrotio mutuatus eſt, ita tractavit, ut in ſumma re ab eo tamen diſſenſerit, volueritque non ab Aegyptiis, ut ille conjecit, ſed ab Cananeis gentem Etruſcorum propagatam fuiſſe. Multa praeterea de Etruſcorum, deque Pelaſgorum lingua, quas Bonarrotius prope intactas reliquerat, tractavit luculenter, quibus non modo Itali, ſed Galli etiam excitati ſunt ad hoc genus litterarum prope depoſitum excolendum illuſtrandumque. Sed quoniam Maſſejus ea *de Italis primitivis* diſſertatione ceteris prope omnibus ſatisfecit, ſibi ipſe non ſatisfecit; quoniamque ſenſit, deinceps in eo ſtudio, in quo ipſe unus ductorum fuiſſet, certos homines deerrare, reliquos etiam e via deducere, ſtatuit rem ipſam copioſius tractare, atque ei litterarum incommodo, quoad poſſet, mederi. Neque illud non vidit atrox bellum ac diuturnum, ſi liberius loqueretur, ſibi eſſe paratum: ſed e re, inquit, publica

erat, ut unus homo quietem ſuam quaſi devoveret, multorumque ſe ſe armis objiceret, ne illud malum ſerpere impune & corrumpere ingenia diutius poſſet. Itaque anno MDCCXXXIX., quo Obſervationum litterariarum Tomus IIII. editus ab eo eſt, prooemium volumini adtexit: pollicetur ſe ſe, quae ante annos XII. de Etruſcorum Latinorumque originibus ſtrictim ediderat, copioſius & in eo libro & in tribus conſequentibus diſputaturum; opus univerſum quatuor in partes fore tributum, ſingulas ſingulis Obſervationum voluminibus inſerendas; primam de hiſtoria Tuſcorum, alteram de characteribus, tertiam de lingua, extremam de prima gentis origine acturam. Atque ut ad eam tractationem compararet ſe, Volaterras, Cluſium, Eugubium, Cornetum, alia veteris Etruriae loca circa eos annos adire, ejusdemque monumenta maxime inſignia ſingula recognoſcere, ſuique iteneris rationem in Obſervationibus litterariis extare voluit. Ac de hiſtoria quidem Etruſcorum (quae IV. volumine, ut paullo ante monui, continetur) incerta eſſe ait prope omnia, quae ante Ur-

bem conditam de iis prodita memoriae ſunt; ita ea tempora fabuloſae narrationes obſcuravere; neque immerito ridet Dempſterum, qui non modo urbium nomina & opes, ſed Regum etiam vetuſtiſſimorum aetatem atque ordinem perſecutus eſt. Antiquiſſimam tamen omnium Italicarum Tuſcam fuiſſe, immo Italiam univerſam Etruriam olim nominatam multis conficit & veterum locis & conjecturis. Tripartitam quodammodo fuiſſe notat, in mediam quae ad Tiberim, ſuperam quae ad Padum, inferam quae ad Campaniam fuit: ſingulaſque partes in XII. urbes, ſeu verius populos aut dynaſtias, ut alii loquuntur, tributas; quae rerum publicarum ſimilitudinem magis quam regni haberent: urbium vero non obſcurum ex hiſtoria eſſe, quae ceteris praeſtarent; ſed quae XII. primae dicendae ſint, id inani conatu a multis requiſitum & confidenter magis quam vere pronuntiatum eſſe: Hortam vero, cui Fontaninius ſingulari libro eam adſcripſerat dignitatem, ita infra XII. deprimit, ut in auctorem libri etiam dicta dicat. Neque vero ſingularum aut partium, aut oppidorum vi-

ces & notabiliora quaedam, quae apud Graecos Latinoſque inveniuntur, praetermiſit Maſſejus; inclinataſque luxu ac deſidia opes, gloriamque eorum bellicam atque domeſticam paullatim ſeneſcentem, donec anno U. C. CCCCXLIIII. ſub imperium P. R. ſunt redacti. Mores quoque & inſtituta ejus gentis explicans, non ita multa de novo attulit, ſed quae ab aliis tractata fuerant, expoſuit luculentius: ſuperſtitioſiſſimos mortalium Etruſcos docet fuiſſe; falſo tamen jactatum humana hoſtia abuſos frequenter ad placandos Deos: luxurioſos non diffitetur, ita tamen, ut uxorum communionem ab eorum moribus, contra ac alii ſcripſerant, alienam probet: philoſophia, ceteriſque ſeverioribus doctrinis floruere, atque ab Romanis eorum ſcholae, uti poſtea Graecorum Academiae, aliquando frequentabantur: muſicen & coluere ipſi, & repertis auxere: architecturae & ordinem ſolidiſſimum, qui Tuſcanicus dicitur, & vetuſtate ceteris praeſtat, invenere, & opera ſecundum Aegyptios magnificentiſſime extruxere: ſtatuariae, picturae, plaſtices peritiſſimos fuiſſe, & ſcripta veterum teſtantur, &

monumenta, quae eorum induſtriae hodieque vivunt. Haec ita eo libro egit Maffejus, ut ne quid nimis tribueret nationi Etruſcorum, cui omnium prope artium inventa nimis certe liberaliter adſcripſerat Thomas Dempſterus. Et quoniam hic aliique paſſim, quod erat Italicae gentis commune, aut alicujus ex Italia populi, id intolerabili quodam jure ſeu verius injuria Tuſcis vindicabant, & tanquam propriam eorum gloriam praedicabant, poſt eam hiſtoriam, de qua paullo ante dixi, de ceteris populis, qui Italiam olim habuere, egit diligenter; qui Auſonii, qui Siculi, qui Umbri, aut Sabini, aut Volſci, aut Samnites, praeſertim vero, qui Pelaſgi a veteribus nuncupati ſint: eorum quoque origines, migrationes, res geſtas, urbes, fineſque in incerto eſſe, quod pleraque ſcripta de iis fabuloſa ſint, & quod veteres Graeci Latinique alii alias traditiones ſecuti raro inter ſe conſentiant, cum ſcribunt, collatis multorum teſtimoniis egregie confecit Maffejus, ex quibus tamen etiam illud animadvertit non poſſe eos cum Tuſcis confundi, quin totius antiquitatis fidei detrahatur.

His veluti fundamentis jactis, nonnulla opera, quae per eos annos poſt *Etruriam Regalem* vulgata fuerant, referenda, & ad criticae trutinam exigenda ſuſcepit Maffejus eodem illo volumine Obſervationum IIII. Initium fecit a Muſeo Etruſco Antonii Franciſci Gorii, quicum ſimultates etiam privatas habebat, quarum cauſſas facile agnoſcent lectores ex prooemio ipſo, quod binis verſibus concludit:

Feſtivitatis plenam agi vult fabulam,
Qua poſſint otium fallere gentes exterae (1).

Atque his verſibus, qui Gorium certe reſpiciunt, quaſi cuidam comoediae prologo, cetera ſane ſcriptio reſpondet tota urbanis ſalibus & arguta quadam dicacitate referta ab theatro atque ab ſcena. Exagitat vero Adverſarium, quod nulla ratione ſigilla Etruſcorum, quae nemo ante eum diem proprio nomine appellaviſſet, auſus ſit nominare, Pi-

(1) Lieta Commedia vuol, che s' appreſenti
Per lor diporto alle ſtraniere genti.

cumnos neſcio quos, Volturnos, Vacunas, Pilumnos, ceteros Deorum prope ignotos non ex eorum ſymbolis, ſed quodammodo ex facie agnoverit; Graeca, Romana, Etruſca cum facta tum monumenta, vetera praeterea & nova temere permiſcendo, ſomnia ſaepe pro repertis venditarit. Neque in Cortonenſes Academicos, qui de Tuſcis rebus item ſcripſiſſent, ſeque aliqua in re reſpexiſſe aut laeſiſſe viderentur, multo mitior fuit, cum bina ejus Academiae volumina eodem illo opere excuſſit. Sed praeſertim in Borguetium Gallum hominem eſt invectus, quod monumenta Tuſcanica, linguis fretus Orientalibus, perverſiſſime interpretaretur; indignatuſque eſt plauſus dari, & apotheoſin quamdam homini peregrino ab Italis decerni ob mala ejus merita in rempublicam litteratorum. Malae cauſſae patrocinium ſuſcepit Gorius, litteris ad Maffejum datis, quae ipſo anno editae Florentiae ſunt. Prodiit etiam quaedam ludicra retractatio Maffeii nomine, quae Gorianae epiſtolae veluti mantiſſa eſt, ſeu potius ejusdem copioſior & plenior declaratio.

Hiſce opuſculis perlectis, facile videas Florentinum inopem rationum ad jurgia rixamque cauſſam tranſtuliſſe. Neque tamen ejus dicacitatem per ſe ſe retudit Veronenſis, ſed eam controverſiam examinandam permiſit viro doctiſſimo, cujus nomen in incerto eſt. Is binis litteris ad amicum datis, quarum titulus fuit; *examen controverſiae inter Maffejum & Gorium de Muſeo Etruſco*, utriuſque criminationes defenſioneſque, quaſi judex inter partes nullo ſtudio partium expendit; & ſecundum Maffejum judicat prope in omnibus; nam judex verus & gravis etiam ab Gorio ſtat aliquando. Fatendum enim eſt Scipioni ſtomachanti properantique in iis libris, quos annis ſingulis binos edidit, aliqua excidiſſe, quae nemo probet. Illud vero minime omnium probabile, quod cineraria Etruſcorum anaglypta non tam ad Graecorum fabulas, quam ad ipſorum Etruſcorum aut fabulam, aut hiſtoriam referenda eſſe pronuntiaverit: qua in re plus certe Gorium vidiſſe eruditi homines (praeſertim Paſſerius optimus talium marmorum interpres) judicaverunt. Compertum enim eſt nihil Tuſcis familiarius

fuiſſe Graecorum mythologia, ex qua praecipue Thebanorum Trojanorumque caſus legere, quos urnis inſculperent, ſeu quod ab Graecorum Coloniis, quae ſunt in Thyrreniam olim deductae, rumores acceperint rerum tantarum; ſeu quod exculti litteris, ut vero ſimilius judico, ipſa facta ex Homero aliiſque poetis cognorint. Eodem an. MDCCXXXIX. Tomus Obſervationum V. conſecutus eſt, in quo fidem ſuam liberavit Maffejus, deque characteribus Etruſcorum egit ſane diſerte. Primus gradus fuit hujus tractationis ſuſcipiendae proferre e nummis vetuſtiſſimae cujuſque linguae notas rationemque ſcripturae. Id quidem antea factitatum ab aliis fuerat, qui in alphabetis veterum linguarum concinnandis operam collocarant, ex quibus commemorabilis eſt Eduardi, Bernardii, atque Ezechielis Spanemii induſtria, Montfauconii praeterea, & ejus, quem paullo ante laudavimus, Borguetii, qui tamen Arcadicum, ſi Diis placet, alphabetum vulgavit, abuſus credulitate temporis ſui (1). Sed horum conatus irriti Maffejo videbantur, quod monu-

(1) *Diſſert. dell' Accademia di Cortona T. 1.*

mentis erant uſi partim ſuſpectis, partim detritis, quod in arte, quae minimos quoque apices conſectatur, nihil affert ſcientiae. Itaque e numiſmatibus integerrima quaeque ſelegit & protulit; Samaritana, Phoenicia, Punica, Graeca, Hiſpanica ignota, ut loquuntur. Hoc eo ſpectabat, ut characteres Etruſcorum Samaritanis vel Hebraicis ſimiliores quam Graecis oſtenderet, efficeretque Etruſcorum originem ab Cananeis initio propagatam fuiſſe; nam eam opinionem & in diſputatione *de Italis primitivis* & in hiſtoria patriae ſuae propoſuerat, fretus conjecturis inſtitutorum ac nominum utriuſque gentis, quae conſentire mirifice videbantur. Atque haec paucis: illud egit copioſe, ut Etruſcum alphabetum quam emendatiſſime ederet, ſtatueretque quibus litteris Latinorum ſingulae Tuſcorum redderentur, exſcriptis iterum atque editis celeberrimis horum inſcriptionibus, quae Peruſiae, Corneti, Florentiae extant, quaeque aut pateris, aut nummis, aut cinerariis inſculptae ſunt. Has dum colligit per Etruriam, multa notavit vir ſagaciſſimus, quibus & fabricae ejus nationis vetuſtae lucem acquire-

rent litterarum, & jejuna illa de characteribus tractatio varietate rerum intermixtarum fieret jucunda. Sed nulla in re magis a lectoribus gratiam iniit, quam in Eugubinis tabulis a ſuſpicione falſi, quae jam inde ab ſaeculo XVI. invaluerat, vindicandis. Qua in diſenſione non modo cautiſſimi hominis, & qui citius veram inſcriptionem improbaret, quam falſam admitteret, valuit auctoritas; ſed rationes ejusmodi ſunt prolatae, ut qui Eugubinas tabulas fictas velit, nullam veterum litteram perveniſſe ad noſtram aetatem poſſit judicare. Neque ſolum V. Etruſce ſcriptas probavit, ſed binas etiam Latine exaratas; eaque occaſione de vetuſtiſſimis Latinorum litteris, earumque varietate atque uſu in regionibus Etruriae conterminis multa docuit, quae vix alibi reperias. Sed in alphabeto Etruſcorum concinnando (quod caput erat) nihil prope novi intulit, cum pleraque aut Bonarrotius in *Etruria Regali*, aut in *Muſeo Etruſco* paullo ante edito Gorius occupaſſet. Laudanda tamen Maffeii methodus, qui cujuſque litterae figuras elegit binas, ternas, aut etiam plures

vere diſſimiles; cum alii minimas quaſque varietates conſectando, plurimis litterarum formis onerarint alphabetum ſuum. Notavit praeterea diligenter, unde ſingulas figuras hauſiſſet, quod ad auctoritatem operis plurimum valet. Aſpirationes, ut Grammatici loquuntur, reperit, quas ipſe Gorius agnovit. Litteras B. & O., alteram ex tabulis Eugubinis, alteram ex marmore perantiquo, tanquam ſero in abecedarium ab Etruſcis receptas, cenſuit addendas, notam etiam animadvertit quae G. Latinorum reſpondere poſſet. Plures, de quibus non liqueret, incertas reliquit. Atque hoic etiam ſcommata in Gorium jaciens, iracundiam ejus in ſe acuit. Nihil enim ad inflammandos ira animos eſt potentius genere illo ridiculi, quod Maffejus natura habuit, exercitatione excoluit & auxit. Itaque ad alphabetum ſuum vindicandum edidit Gorius ſatis longum volumen, quod quidem a lepore illo Maffejano, quem imitari certe voluit, plurimum abeſt; & teretem illum filum & ductum in ſcribendo non aſſequitur, cum eadem decies inculcet debaccheturque, & maria terraſque ſonitu

ver-

verborum compleat: ſed tamen in eo ſunt complura, quae laudem augeant auctori, minuant adverſario. Etenim eorum, qui in eodem ſudarant clivo, texuit hiſtoriam diligentius; & ſpecimina characterum, quibus antiquiſſimi Graecorum erant uſi, elegit exactius, & cum Etruſcis conſentire probavit; unde utriuſque linguae cognatio, quam Maffejus reſpuerat, admitteretur; & litteras ab inimico in alphabetum de novo inlatas partim ab ſe repertas, partim loco movendas eſſe demonſtravit. Habuit vero opinionum ſuarum graviſſimum ſubſcriptorem Jo. Baptiſtam Paſſerium, qui cum & abundarit ingenio, & longam aetatem in hoc ſtudiorum genere contriverit, magnum Goriano alphabeto pondus adjecit, id ſecutus prope omnino in legendo; magnam item laudem Gorianis conjecturis conciliavit, Graeca lingua uſus plerumque in interpretando. Subſecutus eſt annus MDCCXL., qui Obſervationum extulit librum VI. Hic Maffejus quae ſuperiore anno legenda propoſuerat, ea explicare aggreditur, digitumque ad fontes intendit, unde Inſcriptionum Etruſcarum interpretatio

derivari poſſit. Ac primo collectis ejus linguae vocabulis, quae antiqui ſcriptores quaſi aliud agentes diſſeminaverant, adjectiſque Deorum nominibus, quae in pateris leguntur, denique expenſis quorumdam veterum auctoritatibus oſtendere conatus eſt, priſcam illam ac vere nativam Etruſcorum linguam ab Latina & Graeca plurimum diſſidere, inanemque fore eorum conatum, qui in eorum inſcriptionibus paullo longioribus verbum verbo reddere aggrederentur. Neque tamen ea re de Tabulis Eugubinorum, aliiſque ejusdemmodi monumentis aeque deſperandum: falſo enim inter Etruſca cenſeri quaedam, quae Pelaſgica lingua (ea vetus Latina eſt) ſunt conſcripta; ad quae interpretanda plurimum veteres Latinos, nonnihil etiam Graecos poſſe conferre judicabat. Itaque experiundi cauſſa Lerpirianun titulum, item quaedam ex Eugubinis Tabulis non tam verbis adnumeratis, quam ſententiis adpenſis coepit convertere; deterruitque lectorem ab ea ratione, quam Borguetius & Gorius ſecuti, carmen Orthium neſcio quod ſe in aerea tabula legere ſomniaverant; cum nihil prope in aereis illis monu-

mentis aliud ſit inſcriptum, quam ſacra quaedam ſtata ac ſolemnia, quae Iguvini veteres finitimique populi inſtaurare conſueverant Diis ſuis. Redit inde ad Etruſcos titulos, quorum, ſi qui longiores ſunt, eos ne tentandos quidem cenſet, dum alia atque alia monumenta *in apricum proferat aetas*, quae hiſce litteris lucem addant: breviores vero quos cinerariis aut tegulis partim inſculpſit antiquitas, partim depinxit, eos non ex anaglyphis (ut Auctor Gallus inſtituerat) ſed ex Latinorum lingua interpretandos pronuntiat. Qua in re homo ſagaciſſimus cum nonnulla marmora Latine ſimul Tuſceque ſcripta, quaedam modo Latina, ſed quae ετρυσχίζειν videbantur, variis in locis vidiſſet, his e veſtigiis primus omnium odorari viam coepit, quam deinde viri clariſſimi Lamius, Paſſerius, Oliverius, Coltellinius ingreſſi, multa in hoc genere memoria digna commentati ſunt. Nihil vero in ſepulcrorum operimentis aliud viderunt praeter demortui nomen, paternamque ſtirpem ejus atque maternam, nomina item conjugum & vitae annos; eaque nomina ſive hinc in Latium in-

vecta, ſive huc e Latio translata, ex hiſtoria atque ex marmoribus Latinorum explicaverunt. Id princeps omnium efficere viſus eſt Maſſejus (1) ratione quadam ordineque doctrinae; & ſi eam gloriam dubiam facere poſſit Jo. Baptiſtae Paſſerii dictum in epiſtolis Roncalienſibus ſe ſe, quae diu meditatus in hanc rem ſuerat, cum Maſſejo communicaſſe Piſauri biennio antequam hic Obſervationum Tomus editus eſt. Atque eam vocem arripuit cupide Gorius in eo libro, quem in Maſſejum ſcripſit poſtremum (2). Sed mihi Roncalienſes epiſtolas comparanti cum eo opere, quod multis poſt annis de nominibus & cognominibus Etruſcorum idem Paſſerius publicavit, illud videtur poſſe affirmari, in ſecundo opere Maſſejanam quamdam ſeveritatem magis elucere, quae nihil ſine gravi ratione admittat, nihil levibus conjecturis attribuat, nonnulla, quae in Roncalienſibus

(1) Vid. T. XXII. Opuſcoli ſcientifici p.363. &c. & Gori *Difeſa dell' Alfabeto p. LXXXVI.*

(2) Inter Paralipomena ad Dempſterum Lucae edita an. 1767.

parum accurate ſcripſerat, retractet ac corrigat. Neque tamen Maffejo aſſentitur, ut Etruſca vocabula ex Haebraico fonte potius, quam ex Graeco repetat; quod inſtitutum etiam aliis doctiſſimis viris, qui Etruſca converterint, ſcimus placuiſſe. Recte ne an ſecus non eſt judicare meum, praeſertim cum contraria ratio ſummo viro Symmacho Mazochio mire probaretur, quemadmodum ſuperiori in volumine expoſuimus. Hic finis Maffejo fuit de rebus Etruſcorum ſcribendi; nam quae de illorum origine ab Cananeis accerſenda in VII. Obſervationum Tomum rejecerat, nunquam emiſit, Obſervationeſque ipſae poſt VI. volumen edi ſunt deſitae. Etruſcas item antiquitates uno opere, quod Goriano opponeret, includere univerſas atque explicare fuerat meditatus, itemque pollicitus modo per valetudinem ac per otium liceret: ſed eam quoque cogitationem abjecit, cum non parum promoviſſe diceret, quod ſtudia Italorum ad eam partem antiquitatis, quae obſcuriſſima eſt, illuſtrandam convertiſſet, quodque ingenia litteratorum a magnificis quibuſ-

dam ſabulis ad veritatem rerum revocaſſet. Et certe non alii modo, ſed ipſe ille Gorius in III. Muſei Etruſci volumine multo eſt cautior & ſolidior in cogitando effectus: adeo litteratorum diffidia litterarum ſunt incrementa. Sed cum mentem ſuam Maffejus ad multa atque varia eodem tempore verſaret, in quibus aliquid ſibi gloriae polliceri poterat, deerrare ipſum dixiſſes, vel quaedam primoribus tantum labris attingere velle, vel ſibi tantum de opibus ingenii ſui polliceri quantum vix, ac ne vix quidem homini unquam fuerit conceſſum. Ludus illi erat librum conficere, quemadmodum declaravit Adelaidae Felici Canoſſae mittens illi opuſculum de iis, qui ſcriptores Graecos & Latinos in Italicum converterunt. Idem cum itinera faceret quaſi levandae laſſitudinis gratia verſibus Italicis Homerum exprimebat, quod non ad minuendam operis famam, ſed ad declarandam ſingularem vim ingenii dictum volo. Homines enim docti conſenſerunt in illo elogio ſpecimen, quod vulgavit, hujuſce interpretationis ceterorum in hoc genere labores multum ſu-

perare (1). Aliquid hujuſmodi etiam in Virgilio tentavit, & eſt in manibus hominum primi Aeneadum libri interpretatio; in quibus omnibus minime imitatus eſt Salvinium, cum ſe neceſſe habere minime putaret verbum pro verbo reddere, ſed vim pulchritudineſque poematis Italicis formis exprimere.

(1) Parcus ille & certe aequus laudator Apoſtolus Zenus ita de Maffeii interpretatione judicavit in notis ad eloquentiam Italicam Fontaninii Tom. 1. p. 287. & 288. *Ma ſe con tutte le ſuddette verſioni ſia poſto in paragone il volgarizzamento, che dello ſteſſo libro primo fu fatto in verſo ſciolto dal Sig. Marcheſe Maffei ſtampato in Londra per Gio. Brindley nel* 1736. *in* 8. *e poi riſtampato in Verona per Jacopo Vallarſi nel* 1737. *in* 12. *nella fine del T. I. delle ſue Oſſervazioni litterarie, ognuno vedrà chiaramente quanto più da vicino ſi accoſti alla grandezza e ſincerità del Greco eſemplare queſto coſpicuo letterato, dandone in queſto piccolo ſaggio una novella idea del modo di ſcrivere in verſo ſciolto, e di ſoſtenerlo con più dignità, e di renderlo inſiem più dilettevole ora con la ſpezzatura del verſo, ora col legamento di più voci in una proprietà familiare alla lingua Greca, e particolarmente ad Omero, e ora con altri artifizj che tutti ſi poſſono raccogliere dalla lettera premeſſa da lui al Principe di Galles.* Multis cohortantibus tredecim poſt annos ſecundum Iliadis librum convertit in Italicum, & ſi fides editori, ſeptem dierum ſpatio id ipſum praeſtitit.

Attigit quoque Hebraicos ſcriptores eorum nobiliora carmina Italicae poeſeos ornamentis veſtiens. Poſtquam ſtudium iſtud interpretandi arripuit Maffejus, quem nulla unquam res magna & difficillima terruit, Dionem Caſſium Latine reddendum ſuſcepit. Multorum opinio eſt unum excellere inter omnes interpretes Joannem Leunclavium, quippe ſententias ita contorquet, ut nihil intercidat, eo verborum numero complectitur, ut paria paribus reſpondeant: ipſam quoque vocum conſtructionem collocationemque perſaepe ita obtinet, ut color ipſe integer exiſtat: ſumma ad haec concinnitas, perſpicuitas, incorrupta Latinitatis caſtitas, & ipſum, quod in aliis raro reperias, ἀυτοφαές, adeo ut cum ab hoc diſceſſeris, nemo ſit anteferendus. Poſtulatum igitur ab eo ſaepe fuit, ut in Dione Caſſio interpretando tantam praeſtantiam doctrinae exerceret; ſed ipſe nihil praeſtandum aliud putavit praeter emendationem interpretationis Guilelmi Xylandri hominis quidem multis doctrinis exculti, ſed qui, ut pauperiei ſuae ſuccurreret, tanta feſtinatione ſcribebat, ut fami magis quam fa-

mae, quemadmodum de eo non irridicule retulit Thuanus, ſervire exiſtimaretur. Sed non eodem ſtudio ac diligentia in alienis operibus emendandis, quam in propriis abſolvendis elaborare ſolemus. Itaque deſiderabatur a multis, ut nova eaque emendatior conficeretur Dionis interpretatio, quod in ſe ſuſcipere minime dubitavit Maffejus, non tam ſuae quam doctrinae confidens Panagioti Graeci hominis, quem Venetiis arceſſitum domi ſuae alebat, ut civibus ſuis ſtudioſis litterarum Graecarum, ſibique ſatisfaceret. Re confidentiſſime inchoata, audit Maffejus Albertum Fabricium totis viribus idem opus urgere; quare ne cum viro amiciſſimo, cui ſe magno & recenti beneficio obſtrictum profitebatur ob dedicatum ſibi XII. Graecae Bibliothecae volumen, de gloriae poſſeſſione contenderet, rem ipſam e manibus depoſuit, animumque gloriae percupidum & otii inimicum ad alia ſtudia convertit. Nullus ſane non mirabitur hominem, qui caſtra ſecutus fuerat, & qui cum omnibus fere Muſis rationem habere voluerat, incenſum maxime fuiſſe ad di-

vinarum rerum ſcientiam ſibi comparandam ; & ad Theologi laudem praeſertim aſpiraſſe. Ceteris quidem in ſtudiis ſe elaboraſſe, in Theologicis vero ſe conquieviſſe affirmabat, ac plurimum doluiſſe, quod ab ineunte aetate iis ſe totum minime dediſſet. Quoniam invitamentis & praeceptis Benedicti Bacchinii ſe debere dicebat graviorum maximarumque rerum cognitionem, voluit ſub ejus nomine apparere primos laborum ſuorum fructus, neque hos inglorios, cum per illos in aperto poneretur Chriſtophorum Pfaffium falſo tribuiſſe S. Irenaeo fragmenta quaedam Graeca a ſe in Regia Taurinenſi Bibliotheca reperta, & notis obſervationibusque illuſtrata. Nihil praeteriit Maffejus, quod cauſſa poſtulaverit, omnia ſive ad res, ſive ad verba ſpectarent, ad ſeverioris critices regulas exigens. Hac re commotus Pfaffius an. MDCCXV. librum edidit cnm hac inſcriptione; *S. Irenaei Epiſcopi Lugdunenſis fragmenta anecdota*, magno conatu & eruditione minime vulgari ſtudens eludere difficultates a Maffejo propoſitas, & ad ſectae ſuae (erat enim Lutheri erroribus infectus) arbitrium

libidinemque trahere plura in iisdem fragmentis contenta. Quamvis mos eſſet Maffejo tranquillitatem & laudes, minime vero contentiones diſputationeſque expetenti nihil reſpondere ad ea, quae ſuis ſcriptis opponebantur, e re tamen Chriſtianae Reipublicae eſſe putavit, fallaces concluſiunculas Pfaffii confutare, noviſque argumentis comprobare ementita fuiſſe illa fragmenta, quae quod e *Catena* quadam, ut loquuntur, eſſent excerpta, maximum inde eorum falſitatis exiſtere indicium affirmabat: verum non unam modo *Catenam*, ſed omnes in ſuſpicionem infidelitatis vocare ſe poſſe putavit, cum Corderianam, quae plenius ac perfectius opus a Fabricio appellatur (1), exagitaſſet. Poſt ea ad examen redit rerum in ipſis fragmentis contentarum, & haec quidem maximi momenti erant, quod reſpicerent verba & ritus, quos in Euchariſtiae Sacramento peragendo Catholica Eccleſia adhibere ſolet. Silentium ipſa facere debebat argumentorum copia. Nihilo tamen minus iterum prodiit

(1) Bibl. Graec. Vol. VII. p. 742.

in ſcenam Pfaffius edita an. MDCCXVIII. Tubingae *Diſſertatione apologetica &c.*, in qua de *oblationibus* agit, ut probet, ſi Superis placet, nunquam illud verbum uſurpaſſe Irenaeum, cum de Chriſti corpore ſermo ab illo fieret. Puduiſſet ſane Maffejum hos errores dici potuiſſe, & non potuiſſe refelli. Quod ut praeſtaret veluti in tabula bene picta, expoſuit locos Irenaei omnes, in quibus de Euchariſtia agitur, ut ejus ſenſus ab eo, quod nunc tenemus, nulla in parte diſcrepare quilibet per ſe facile intelligere poſſet. Si quis multas, copioſas, variaſque rationes, quibus Maffejus objurgatori ſuo reſpondit, optimo in lumine collocatas videre cupit, adeat quae praefatus eſt vir doctrina clarus Franciſcus Leonius, cum an. MDCCXXXIV. Venetiis ederet S. Irenaei opera, & quae in illa animadverterat vir ſummus Maſſuetius. Non minori ſtudio vindicem ſe praebuit Maffejus S. Jo. Chryſoſtomi, cum Haeretici abutentes quadam ejus epiſtola ad Caeſarium Monachum, quam Florentiae inventam primus omnium Pariſiis vulgaverat Emericus Bigotius, ſanctiſſimi Patris auctoritate & te-

ſtimonio quosdam errores ſuos de Euchariſtia confirmare ſe poſſe rebantur. Ne qua fraus a fallacibus hominibus fieret, ipſam epiſtolam quam amplius non extare Florentiae falſo ipſi autumabant, vulgavit, anteoccupavitque omne id, quod putavit opponi. Occaſionem huic rei dedit Jacobus Baſnagius, qui cum ſe editurum ſpopondiſſet Henrici Caniſii *veteres Lectiones*, in has, quae conveniebant omnia, & hanc ipſam epiſtolam congerere meditabatur. Fecit ipſe poſtea mentionem honorificam Maffeii, qui etſi caleret in ſcribendo, videbat tamen etiam atque etiam, ne quid aſpere diceret in confutandis adverſariis memor ſententiae illius (1): *neque ſane praetermitti errores illorum debent, ſed confutare illos oportet . . . ſic ut non auctores incuſes, aut in eos inveharis, ſed laudes potius, quae fuerint ab illis ignorata corrigens*. Cum acuiſſet ſe ſe diligens induſtria Maffeii in conquirendis eruendiſque e tenebris Catholicae Eccleſiae monumentis, multa eodem tempore invenit penes Vero-

(1) Polyb. lib. III. c. 56.

nenſe Capitulum, quae ad Concilia & Canones, ad res Liturgicas, ad diſciplinam, quam a majoribus veteres Chriſtiani acceperunt, ad hiſtoriam IV. Eccleſiae ſaeculi, ad priſcos Veronae Epiſcopos, ad ſententiam, quam adverſus Acacium Conſtantinopolitanum Epiſcopum tulit ſummus Pontifex Felix hujus nominis III., unde ortum Orientalium Epiſcoporum diſſidium, quae ad omnem denique antiquitatem pertinent. Haec vero ut majori in pretio haberentur, effecere illuſtrationes Maffeii. Sed praeſertim ipſe elaboravit in *Complexionibus* M. Aurelii Caſſiodorii Senatoris adornandis, quae quod miſere deperditae putabantur, facile eſt conjicere, quanta exultaverit laetitia Maffejus, cum in earum manu ſcriptum codicem incidit. Continentur iis breviſſimae explanationes epiſtolarum Apoſtolorum, horum Actuum & Apocalypſis, quas Monachus jam factus, & cum eſſet ſumma ſenectute, ſcripto mandaverat. Quamvis non abundent copioſa rerum varietate, commendari tamen tanto debent juſtius, quanto fuerunt cariores homi-

ni, quem merito Beda (1) inter ſacros Ecclesiae Doctores recenſendum putavit. Nihilo tamen minus per ſummam fraudem & malitiam finxit Samuel Chandlerus Britannus homo ſatis litteris excultus multa in iis Complexionibus, quas ſecundo Londini edidit, contineri, quae mirifice faverent Calvini dogmatibus. Num tam inſignem impudentiam ferre potuiſſet Maffejus? Is quidem ita pugnavit, ut adverſarium rejicere ſcutum & dare jugulum coegerit, & commendator inſignis omnium ſcriptorum Caſſiodorii haud aegre a ſe obtinuit, ut in iis colligendis, edendis, praefationibuſque adornandis plurimum elaboraret. Praegeſtiebat vero animus illius, cum videret multos cohortationibus ſuis incenſos ad vulganda iterum noviſque obſervationibus illuſtranda SS. Patrum opera. Profecto minime obſcura ſunt, quae editoribus S. Hilarii Pictavienſis idem conceſſit, quantumque operae, ſtudii, diligentiae ac laboris contulit ad perficiendam S. Hieronymi operum editionem, quae per Val-

(1) In Esdram.

larſium ſuſcepta furat. *Incitatorem & facem omnium*, ſi Prudentii verbis uti poſſumus, dixiſſes, neminique ſane ad ipſum accedenti hebeſcere & languere in otio licebat. Conſulere etiam ſe poſſe utilius civibus ſuis putavit, ſi longa ſuſcepiſſet itinera non tam propter ſtudium cognoſcendorum hominum, quam propter cupiditatem novorum operum ſuſcipiendorum. Primus autem fructus commorationis in Gallia fuit liber ille, quem inſcripſit; *Galliae antiquitates quaedam ſelectae, atque in plures epiſtolas diſtributae*, quemque Latino carmine, quod non multa dies, nec multa litura ſane coercuerat (menda enim ex eo tollenda poſtea fuerunt) Lud. XV. Regi dedicavit. Si vellem ſigillatim percurrere omnia, quae in his epiſtolis continentur, profecto lectores fatigarem. Non vulgaria hoc loco referuntur, ſed nova (1) aut novo

(1) Saepe quidem evenit, ut inſcriptiones ineditas putemus, quae vere ſunt editae. Id uſuveniſſe etiam Maffejo minime mirum videri debet. Itaque qui minus ejus laudi favebant, haec adnotarunt in libro, cujus eſt titulus: *Explcation de divers monumens ſinguliers* ec. p. 77. M. Maffei reconnoit lui-meme (p. 11.) qu'une

novo modo explicata. Ab honeſtis miſſionibus in aereis tabulis inciſis initium ducit, ut probet has conſueviſſe concedi iis militibus, qui cum peregrini juris feminas (Barbaras Horatius appellat) in matrimonio haberent, jure connubii donandi erant, ut juſte & legitime procreaſſe liberos judicarentur, & hos heredes ſcribere poſſent. Plures deinde refert inſcriptiones, quas in Cottiis alpibus & in Sabaudia reperit, &

„ Inſcription trouvée à Albi dans le Comté de Geneve, & qu' il venoit de donner pour nouvelle, avoit été publiée avec ſon explication dans le Journal de Trevoux. S' il avoit eu la précaution de lire l' hiſtoire de Languedoc, il auroit trouvé à la fin de la Préface la premiere des Inſcriptions de Narbonne qu' il donne à la pag. 65. On dit la méme choſe des Inſcriptions qui ſont à la page 80. La premiere ſe lit dans le premier tome de l' Académie des Inſcriptions, & dans le dernier tome du ſupplement de l' Antiquité expliquée; la troiſieme dans ce méme tome du ſupplément, & la quatrieme dans le ſecond tome de la religion des Gaulois. Sa premiere Lettre étoit imprimée depuis peu à Veronne: il eſt vrai qu' elle n' étoit pas connue à Paris. Mais qu' a-t-il gagné à la réimpreſſion?

Digitized by Google

populorum, quorum mentio fit in iiſdem inſcriptionibus, & praeſertim in nobiliſſima arcus Secuſani, loca, quae incolebant, exquirit. Majorem etiam inſcriptionum copiam invenit apud Narbonenſes & Lugdunenſes. Atque hae de dedicatione ſub aſcia diſputandi cum Muratorio occaſionem ei dederunt cum aliqua amici moleſtia, qui inique ferebat minui benevolentiam in Maffejo ex ſententiarum diſſimilitudine. Nec ineditas ſolum Noſter in publico propoſuit, ſed quaſdam etiam male a Grutero aliiſque exſcriptas emendavit. Ubertas, varietas, copia hujuſmodi monumentorum efficiebat, ut libenter eſſet iis in locis Galliae, quae quondam ſub populi Romani imperium ditionemque ceciderunt, dictitabatque malle ſe ibi manere, ubi ſolus ſapere in iis colligendis interpretandisque videretur, quam ubi aliquo numero eſſet. Vix poterat vero divelli ab iis urbibus, in quibus veſtigia eſſent veterum amphitheatrorum, & cum deſcripſiſſet in epiſtola ad Jo. Polenium Nemauſenſe, Arelatenſe, & Forojulienſe, corollarium ſe addidiſſe gloriabatur libro, quem de Veronenſi

contexuerat, & plura in hoc contenta mirabiliter confirmaſſe (1). De theatris etiam, & praeſertim Aurelianenſi omnium fortaſſe, quorum veſtigia ſuperſunt, nobiliſſimo ſeparatim egit, non tam antiquitatis, quam architecturae ſtudioſis abunde conſulens. Cum Pariſios tandem perveniſſet, quidquid dignum ſapiente bonoque eſt homine ſtudioſiſſime

(1) *Non poſſo negarvi di non aver provato alquanta di compiacenza più volte, vedendo comprovate con ſicurezza alquante delle oſſervazioni da me eſpoſte nel mio Trattato, e che ugualmente vagliono per gli Anfiteatri tutti, come a dire che le porte di mezzo per largo non conducean nell' area, ma le vie loro trovavano per contra nel fine un cieco muro; che le porte diametrali per lungo erano più ampie dell' altre; che le ſcale non eran punto diſpoſte, come ſi rappreſentano in tutte le ſtampe del Coliſeo; che i Vomitorj baſſi non davano adito nella piazza, ma per gradini interni mettean nel luogo più nobile gli ſpettatori; che nella cinta interiore non vi eran prigioni; e che nel muro, che ſoſtentava il podio, non vi eran porte. Con molto piacere ho altresì veduta la piena e indubitabil conferma della nuova ſcoperta del ſopraornato Toſcano, e del poterſi ora con tutta ſicurezza additarne le parti architettoniche, e gli ornamenti, quali non eſſerſi conſervati in verun edifizio antico hanno fin' ora creduto i maeſtri.*

conquiſivit; verſabatur cum iis, qui litteris excellere putabantur; in omni re ad antiquitatem pertinente quid quid eſt rarum & praeſtans ſagaciſſime odorabatur; horum nonnulla etiam illuſtranda ſuſcepit, & cum, in hac arte quantum valeret, peritioribus oſtendiſſet, facile quod optabat obtinuit, ut in Regiam Academiam, quae dicitur Inſcriptionum & Humaniorum Litterarum, cooptaretur. Theatrum ſane bellum ſe habere laetabatur, in quo vis ingenii ſui & eruditio omnis libero homine digna eluceret; & quamvis ipſe ſibi in dicendo obſtrepere ac plaudere videretur, & pertinaciam & ſtudium vincendi in diſputationibus prae ſe ferret, & ſuae Italorumque gloriae ſaepe praedicator nimius eſſet, multos tamen nactus eſt ſtudioſos, amantes, obſervantes ſui; quod mireris ſane apud populum, cui omnia, quae Galliam non olent, inimica atque infeſta ſolent eſſe, & qui obſtinationem ſententiae in aliis acrius reprehendit, quod veretur, ne omnes habeat propriae ſubſcriptores adprobatoreſque. Sed oportet Maffejum aut vitia ſua occultaſſe, aut his veniam ſa-

cile obtinuiſſe ob multarum virtutum comitatum atque praeſidium. Ipſa fama, qua fruebatur, & gratia, qua plurimum poterat apud potentiores, e quibus honoris cauſſa nomino Polignachium, Biſſium, Fleurium Cardinales ampliſſimos, impulit Jeſuitas, in quorum multorum familiaritatem ſe ſe inſinuarat, quibuſque ſemper faverat vinculis beneficiorum obſtrictus, ut quotidie opplorarent auribus illius mala, quae Gallicana Eccleſia & ipſi a Janſeniſtis patiebantur, ſperantes illum ſe ſe habituros ſententiarum ſuarum acerrimum defenſorem, ut certe omnium conſiliorum participem habebant. Allicitur vir flagrans ſtudio laudis novis beneficiis & dono ſcriptorum, quae Jeſuita doctrina praeſtans Turneminius reliquerat; & cum videret parvo labore poſſe ſe de celebrioribus illorum temporum controverſiis docte, erudite & copioſe diſputare, libentiſſime arripuit occaſionem magis magiſque venditandi hominibus ſuam in Theologicis rebus prudentiam. Hiſtoriam igitur Theologicam de omni eo, quod pertinet ad divinam Gratiam, contexere inſtituit; opus ma-

gnum, & ſententiis Sacrorum librorum, SS. Patrum, Conciliorum, & veteribus Eccleſiae monumentis refertum, quod, cohortante Biſſio Cardinali, non Latinum, ut ei propoſitum erat, ſed Italicum fecit, quo facilius in manus omnium perveniret. Non eſt hujus loci id, quod in utramque partem diſputari ſolet, referre. Hoc certe fuit in animo Maſſejo probare, a ſententiis S. Auguſtini & Catholicae Eccleſiae diſſidere dicta Janſeniſtarum; hos dimicare ſcriptis, ut ſemidoctos ad ſuam libidinem & licentiam abducant; ſapienter ſe geſſiſſe Romanos Pontifices in condemnandis illorum erroribus, & aſtutiis aperiendis; & cum incurriſſet in illam memorabilem Conſtitutionem *Unigenitus*, omnes Queſnellii ſententias ſic enucleat & exponit, ut in lectorum mentibus inſtillet quovis ſceleſtiſſimo homine illum fore ſceleſtiorem, qui in ejuſdem Conſtitutionis verba minime juraſſet. Dum vult oſtendere Janſeniſtas non ſolum vetere & diuturna, ſed etiam recenti invidia & infamia flagrare, & nullam ferme eſſe oram, quo non pervaſerit quaſi morbus quidam illorum furoris, &

omnia eosdem S. Auguſtini praeſertim auctoritate & teſtimoniis abutentes impie permiſcuiſſe, palam prudentioribus fecit, ſe alienos affectus in ſua ſcripta tranſtuliſſe, ac plus ſaepe apud ſe valuiſſe Jeſuitarum, quam veritatis ſtudium. Novas certe turbas atque rixas hujuſmodi opus, quod Tridenti anno MDCCXLII. typis impreſſum fuit, excitare debebat; & libri, qui inſcripti fuere, *Animadverſiones in hiſtoriam Theologicam*, & *Difeſa dell' Animadverſioni*, quorumque auctor eſſe putabatur religioſus quidam homo cognomine Migliavaca, pleni ſunt injuriarum & graviſſimarum contumeliarum, quibus vehementer quidem, ſed non iracunde reſpondit Maffejus. Alii poſtea ejus partes ſuſcepere (1), niſi fortaſſe eidem libuit, quod probabilius putamus, ſub alieno

(1) Editi libri fuere. *Conferma delle riſpoſte date all' Anonimo impugnatore dell' Iſtoria Teologica. Verona* 1751. *Gianſeniſmo nuovo dimoſtrato nelle conſeguenze, il medeſimo o ancor peggiore del vecchio: ſerve per riconferma delle riſpoſte date all' Anonimo impugnatore della ſtoria Teologica: ſi aggiugne una breve ricerca delle dottrine di Ariſtotele in quanto riferir ſi poſſono a tal materia. Venezia* 1752.

nomine latere; & qui accuſatorum, & qui defenſorum perſonas geſſere, odioſi in dicendo & loquaciſſimi mihi fuiſſe videntur. Omnem memoriam hujuſmodi diſcordiarum niſi oblivione ſempiterna delendam cenſerem, longior certe fuiſſem in iisdem declarandis; & qui conviciis ab errore homines conantur avertere, certe totum aliud quam veritatem & Chriſtianae reipublicae bonum ſe ſpectare oſtendunt. In hujuſmodi diſputationibus haud poterant eſſe ſpectatores otioſi Maurini Monachi, qui Maffejo ſaepe antea praedixerant ea, quae ſuſceperat tractanda, & turbulenta & temeraria & periculoſa fore, quare ſi tranquillitatem amaret, a Jeſuitis eorumque fautoribus ſe ſejungeret. Cum eorum minime paruiſſet conſiliis, extitit qui ejus imprudentiam caſtigaret: nam ab iſtiuſmodi hominibus, quamvis ſeveriori diſciplinae ſe adſtrictos & conſecratos eſſe gloriarentur, minime aberat ulciſcendi cupiditas. Editus propterea Pariſiis fuit liber cum hac inſcriptione: *Explication de divers monumens ſinguliers, qui ont rapport a la religion des plus anciens peuples*, quo libro planum facere ſunt conati,

in explicandis quibuſdam antiquitatis monumentis, & in edendis illuſtrandiſque S. Hieronymi ſcriptis multo plus vidiſſe Maurinos Monachos, quam quantum Maffeii & Vallarſii ingeniorum acies intueri potuere. Maffejus quidem cum in eo eſſet, ut Pariſiis diſcederet, poſtquam quatuor ferme annos in ea florentiſſima urbe, omniumque rerum copia abundanti jucundiſſime commoratus fuerat, libellum ſeu potius epiſtolam (1) ad Polignachium Cardinalem de morientium Ethnicorum religione vulgavit, cui occaſionem dedit anaglyphum pulcherrimo opere elaboratum, quod in ipſis regiis aedibus adſervatur. Res quidem magis perpolitam & elaboratam explicationem deſiderare videbatur; & facile fuit iis, quos iratos habebat, nimium feſtinantis, & interdum etiam dormientis ſcriptoris praeteritiones & errata patefacere. Quid ſi mortuam, ut vero ſimilius eſt, minime vero morientem feminam, ut contendebat Maffejus, monumentum illud

(1) Hanc ipſam diſſertationem ſeu epiſtolam Vid. in I. Vol. *delle Oſſervazioni Letterarie*,

repreſentat? Tum quidem omne corruet fundamentum, quo nititur diſſertatio illa, & quae favere ejus opinioni exiſtimabat argumenta, adverſari potius videbuntur. Quanquam igitur ſe oſtentaverit Maffejus in hoc explicando anaglypho, ſic a pleriſque harum rerum aeſtimatoribus judicatum eſt, id operis ceterorum Maffeii operum dignitatem non adaequaſſe. Poſt haec Britanniam cogitare coepit flagrans deſiderio per ſe videndi Oxonienſia marmora, inter quae eminet inſcriptio de temporum ratione, quam reginam inſcriptionum appellare ſolebat, ceteraque antiquitatis monumenta, quae potentiſſima natio aemula Romanorum gloriae ſtudioſiſſime collegerat. Ab hac tributi ſingulares honores Maffejo fuere, cujus urbanitatem & politiſſimos mores cum ipſa laudaret, & eruditionem eruditioni opponeret, videbatur comprobare quae Craſſus in illius orationis principio, quam contra collegam ſuum Cn. Domitium Ahenobarbum cenſor habuit, dixiſſe fertur (1): *Quae natura*

(1) *Vid. Cic. de Orat. lib. II. c. LI.*

darentur hominibus in iis rebus ſe vinci poſſe aequo animo pati, quae ipſi ſibi homines parere poſſent, in iis rebus ſe pati vinci non poſſe. In ipſis regiis aedibus, cum familiariter verſaretur Maffejus, voluit gratus erga Principem Valliae cognoſci, nuncupato ei primo Iliadis libro, quem Italicis verſibus ipſum reddidiſſe ſupra commemoravimus. Oxonii doctrinae inſignibus decoratus fuit, & in Academicorum numerum cooptatus eſt. Ipſà vero copia antiquarum inſcriptionum tum Graecarum tum Romanarum, quas erudite interpretabatur (nam tum omnium marmorum Oxonienſium interpretationes minime vulgatae erant) famam ei doctrinae augebat; cumque opera Alexandri Gordonii ejus de amphitheatris libellus in Anglicum converſus fuiſſet, & Popius ipſe in Meropes tragoedia Anglice reddenda elaborare diceretur, multique nobilitate & honoribus praeſtantes, qui de praeclariſſimis artibus aliquid ſibi appetebant, tecto ac domo ipſum invitarent, cunctis efferebatur laetitiis. Beati enim ei eſſe videbantur, qui honorati ſunt propter honeſtatis & gloriae ſimilitudinem,

miſeri qui inglorii. A Britannis ad Batavos tranſiit, & apud eos aliquandiu commoratus eſt. Demum poſt longa itinera ad ſuos rediit dives copiis iis, quae ſapientiam alunt, & hoc etiam nomine ditior, quod ſecum duxerit Jo. Franciſcum Seguierium, quicum ſibi, quoad vixit, fuit una domus, idem victus iſque communis, neque ſolum occupationes cognoſcendi ſemper aliquid atque diſcendi, ſed etiam peregrinationes; ruſticationeſque communes. Virtus enim ſtudiorumque ſimilitudo facile ad diligendum homines allicit. Tum licuit Maffejo otio affluenti multa diverſaque animo agitare. Ipſe cum factis vir magnificus, tum factorum oſtentator haud minor coepit cogitare de aedificando publico Muſeo, in quo omnia ea antiquitatis monumenta cogerentur, ordinatimque diſtribuerentur, quae ipſe ſingulari ſtudio collegerat. Neque ei de loco ambigendum fuit. Academia enim Veronenſis, quae ab ſtudio in muſicam Philarmonica appellatur, quaeque ante annos viginti ac ducentos initium ceperat, aedificium nobile avorum memoria exſtruxerat, ſtudiis omnibus,

& ingenii exercitationibus quodammodo conſecratum. Ante eas aedes area protenditur, cujus partem fere tertiam domunculae occupabant, quibus dejectis, platea in quadrum redacta eſt, ita ut aptiſſima excipiendo Muſeo fieret. Hoc conſtructo, illud Plinianum de Aſinio Pollione ſibi Maffejus vindicare poſſe putavit: *primus Bibliothecam dicando ingenia hominum rem publicam fecit*. Non commiſiſſe ſe ſcribit, ut, appoſita inſcriptione, ſua praedicaretur liberalitas, cum quae patriae concedebat, qua nihil ſibi erat carius, debita ei eſſe diceret. Sed fortaſſe in eo ipſo, in quo praedicationem recuſavit, praedicari de ſe ac nominari voluit. His in publico propoſitis monumentis, coepit habere bonam ſpem de Veronenſibus ſuis, quaſi ipſi praeculti jam eſſent ad excolenda antiquitatis ſtudia, & acrioribus ſtimulis excitarentur ad renovanda Auguſtini Maffeii, qui Romae XV. ſaeculo floruit, Panvinii, Noriſii, & Blanchinii (qui quantique viri!) illuſtria exempla. Ipſe vero quod ſpecimen hac in re ceteris dedit? Neſcias quidem utrum majorem ſumptum in his antiquitatis reliquiis

comparandis, an laborem impenderit in iiſdem illuſtrandis. Quo rectius opus procederet, Romam an. MDCCXXXIX. rediit non tam antiquitatis conſultiſſimos viros, quam vetera monumenta conſulturus. Serius tamen prodiit *Muſeum Veronenſe*, in quod non ea ſolum omnia, quae Veronam ornant, intulit Etruſca, Graeca, & Romana monumenta, ſed etiam quaedam alia, quae alibi viſerat, & quae cum eſſent inedita, magni momenti eſſe putavit. Nihil non commendat praeclariſſimum hoc opus, rerum copia (1), eruditio, neque ea vulgaris, ſed recondita, typorum elegantia & ipſum nomen Summi Pontificis Benedicti XIV., cui nuncupatum eſt. Ut autem Latina iſtud potius, quam Italica (& meo quidem judicio Italice elegantius ſcribebat) perſequeretur lingua, eo factum eſt, quod doctis praeſertim & elegantioribus hominibus probari illud ipſum volebat, & quod ſperabat fore, ut ejuſmodi rerum notitia La-

(1) Graecae inſcriptiones C. innumerae pene Romanae, ex iiſque Chriſtianae & medii aevi plures. Etruſca monumenta ſelecta XXV. Arabicae inſcriptio-

tinis illuſtrata litteris Italiae fines praetergrederetur, latiuſque propagaretur. Quanquam antea quam haec vulgaret, in enodandis Graecorum ſiglis ſeparatim elaboraſſet Maffejus, quoties tamen opportunitas tulit, ad rem eamdem rediit corollario priſtinum opus aucturus. Nemo enim ignorat quantum negotii ſaepe faceſſant hujuſmodi compendia in inſcriptionibus interpretandis, ut plurimum interſit eaſdem noſcere, & in promptu ponere. Sagaciſſimus homo & experiens diſcutiebat omnia, quae obſcurant, & miro erat acumine in diſcernendis veris a falſis; & tanquam venaticus canis optime odorabatur omnia & perveſtigabat. Quare minime verebatur amplificatoris notam, cum in commemorandis iis, quae pro ſtudiis antiquitatis praeclara geſſit, jucundiſſime verſaretur. Quoniam ad

nes IV. & vetera anaglypha ultra C. Et haec omnia ad Veronam pertinent. Continet etiam liber praeſtantiora, quae ornant Muſeum Taurinenſe, cujus Maffejus ipſe auctor fuit & ordinator, Vidobonenſe, quod ejus cohortationibus collectum eſt, & multa quae Romae in Capitolio praeſertim, & in Collegio Romano & alibi extant.

hunc locum perventum eſt non alienum eſſe videtur notitiam afferre immenſi pene operis, quod animo volvebat, quodque complecti debebat non modo inſcriptiones omnes, quae duorum & amplius ſaeculorum ſpatio vulgatae ubicumque fuerunt, adulterinis rejectis, & depravatis emendatis, ſed etiam quotquot ineditas per ſe & amicos colligere potuiſſet. *Quid*, ajebat ille, *Gruteri collectione celebratius atque utilius? Sed quam multa apud eum commentitia, incorrecta aut interpolata, quot repetita! Adde quod Latina cum Graecis, carmina cum iis, quae ſoluta oratione ſcripta ſunt, antiquae leges & documenta cum titulis aedificiorum, ſequiori non nunquam aevo inſculpta cum vetuſtiſſimis permiſcentur. Rurſus neceſſariae quaedam apud illum deſiderari videntur claſſes, & inutiles quandoque congeri. Deſunt etiam ex inſignioribus epigrammatis aliquot, quae ſuppoſititia perperam cenſebantur, ut Cenotaphia Piſana. Reineſius in iis, quas in medium attulit, inſcriptionibus, ſaepe aliorum fide deceptus eſt, & quasdam etiam refecit arbitratu ſuo. Fabretti ingens & perdocta collectio, quod indicibus careat, & inſcriptiones permixtim afferat, neque in ſuas*

claſſes

claſſes diſpertitas, parum utilis iis omnibus eſt, quibus ceteroquin plurimo ſaepe uſui eſſe poſſet. Eadem res vitio vertitur Sponio. Quae dum querebatur, non perinde intelligi volebat, quaſi aliquid ſummorum virorum gloriae detractum vellet, ſed ut quod factum eſſet, quod non factum, & quod fieri oporteret, noſceretur. Uno volumine Graecas inſcriptiones omnes in ſua tempora diſtributas complecti meditabatur, ita tamen, ut quae ejusdem generis eſſent, veluti quae Reges memorant, foedera inter populos, civitatum decreta, quae ad ludos & ſpectacula pertinent, aliaque hujuſmodi conjunctim afferrentur. Ex multis inſcriptionibus oratione numeris adſtricta exaratis nova quaedam eſſloreſcere debebat Anthologia, & quidquid erat illuſtre aut obſcurum doctis exornari commentariis, & omnia in Latinum converti. Latina vero monumenta ſex aut ſeptem occupatura erant volumina. Ex iis agmen ducere debebant priſcae leges atque aerea Senatus conſulta, poſt haec ſequi reſcripta, decreta, judicialia, municipalia pſephiſmata, collegiorum acta, ſimul collectis, quae pro-

prii cujuſdam generis eſſent, cujuſmodi hoſpitales teſſerae ſunt, honeſtae miſſiones & ſimilia. Monumenta hiſtorica, veluti ſunt Conſulares Faſti, Auguſti vita ex Ancyranis lapidibus, kalendaria, orationum inſigniorum fragmenta, militares quoque laterculi Italicarum civitatum & Conſulatuum mentione illuſtres, maritimae inſcriptiones, eorum ſcilicet militum, qui praetoriis in claſſibus ſtipendia fecerant, quarum pauciſſimae Gruteri aevo innoteſcebant; omnia denique, quae ad antiquitatem quomodocumque pertinent, ne Chriſtianis quidem exceptis inſcriptionibus, diſtincte & ordinate, & in ſua tempora & in ſuas claſſes diſpoſita eſſe debebant, omnia opportunis brevibuſque commentariis illuſtrata, eaque omnia in ſuos indices ſic relata, ut nihil facilius eſſet indagatione atque inventione earum rerum, quae in tam immenſo opere continerentur. Quoniam vero ſaepe evenire videmus, ut merces fallaces & fucoſae pro veris venditentur, huic ipſi operi praeire debebat Ars Critica Lapidaria, in qua tanquam inſignitae notae veritatis apparerent, & ex qua quiſque per ſe

facile judicare poſſet, quid eſſet adulterinum, quid non. Adeo multa pollicenti, & in ſe ſuſcipienti gravis adverſaria conſtituta & parata erat incredibilis quaedam expectatio, & quamvis advigilaverit Maffejus pro rei magnitudine, haec tamen nunquam ad exitum pervenire potuit; quare ſaepe coarguebatur ab adverſariis, quod multa prolixe polliceretur, pauca extricaret. Haud mediocria tamen ſunt, quae reliquit ad Artem Criticam Lapidariam pertinentia, & haec illo tempore, quo vidit nullam eſſe vitae ſpem ſuae, dono dedit amiciſſimo viro Franciſco Seguierio. Hic eadem poſtea conceſſit poſtulationibus Sebaſtiani Donati, & aegre ex infinitis chartae plagulis conflatus eſt liber, qui Lucae prodiit anno MDCCLXV. Quatuor in partes diſtribuitur, de quibus ita quaedam libamus, ut neque hoc opus omnino praeteriiſſe, neque cum ceteris aequaſſe videamur. Longe enim a librorum dignitate diſtant adverſaria, in quae clariſſimi etiam viri omnia conſtipant, quae olim ſibi vident ad ſcribendum profutura; neque tum aut delectum habent, aut ordi-

nem ſervant; memoriae modo conſultum volunt, ne quid ſibi utilium elabatur. Et quae in Donati manus venerunt, ſi adverſaria Maſſeii dixeris, paullum a vero aberrarit judicium: ea certe ſunt, quae ſi Auctor recenſuiſſet, & ad formam juſti operis redegiſſet, nae ejus reprehenſores multo plura in Maffejana illa Arte Critica admirari quam carpere deberent. Nunc multa ſunt, quae laudare in ea quiſque poſſit, eruditionem nunquam e medio petitam, ſed reconditam atque perraram; veterum linguarum cognitionem, etiam earum, quas Orientales vocitant; vim ingenii praeclaram ad res diſſitas inter ſe conferendas componendaſque; innumerabiles prope inſcriptiones, quae in collectionibus ſunt, purgatas mendis, aut ſuppletas, aut illuſtratas, nonnullas aegras & prope depoſitas (quod nemo ante potuerat) reſtitutas: denique formam & imaginem magni operis, ut in Bonarrotii aut Sanctii linearibus quibusdam picturis, quae neque perfectae ab auctoribus, neque ad magnitudines coloreſque ſuos, neque omnino ad tabulas ſunt deductae. Sed ut eo redeam, prima Artis

Criticae pars ultimam inſcriptionum ſeu ſcriptorum lapidum originem inquirit, quo in genere cum de Aegyptiorum obeliſcis & notis pauca praemiſerit, ſcripturae artem litteraſque ullas ante diluvium negat fuiſſe, ſed adulta deinde ſobole generis humani, eaque varias jam orbis terrae regiones tenente; tum denique inter Hebraeos extitiſſe aliquem, cui litterarum primordia divinique reperti initia tribuamus; morem deinde in alias gentes propagatum, quarum characteres vetuſtiſſimis monumentis teſtatos ita inter ſe diſpares animadvertit, ut ad unam tamen primaevae ſcripturae ſimilitudinem ſinguli referri poſſe videantur. Ita vero ſagax Maffejus in hac parte operis fuit, ut Plinium ceteroſque profanos hiſtoriarum ſcriptores ad eam Hebraeorum gloriam traxerit non invitos. Pleraque intercidiſſe, quae ad primi libri abſolutionem pertinerent, monet Donatus: ea lector ex Obſervationibus Litterariis reſtituere, eamque jacturam utcumque ſupplere poterit. Alterius libri haec ſumma, hoc propoſitum eſt, ut veterum lapidum, quos in Graecorum Latinorumque voluminibus legimus, ſeriem quam-

dam contexat, & quatenus fidem iis adjungere liceat, judicium interponat. Atque ea quidem, quae vel fabuloſis temporibus conſcripta, vel ante bellum Peloponneſiacum exarata vulgo ferebantur, ea plerumque poſteriorum temporum epigrammata eſſe, & ab hiſtoriae fide removenda pronuntiat. Neque enim Graecis inuſitatum aut rarum fuit ementitis verſiculis aut urbi, aut ſepulcro conciliare cum vetuſtate dignitatem; & veteres quandoque in eo peccavere, ut verſum exercitationis cauſſa a Poeta compoſitum in Heroas iisdem temporibus attribuerent, in quae Heroes ipſi incidiſſent. Agnoſcit tamen ejus aetatis epigraphas non ita paucas, tum Graecas, tum etiam, quod mireris, Etruſcas: etſi hanc ſententiam in Obſervationibus Litterariis aut retractaſſe, aut planius explicuiſſe dixeris, cum huic generi antiquitatum vetuſtatem illam adimit, quam aetas avorum noſtrorum eidem adſcribebat. Sed a Peloponneſiaco bello ad poſtremos Auguſtos plurima eaque certiſſima utriuſque linguae epigrammata, multa legum fragmenta, plebis item ſcita, Senatuſque conſulta chronologico quo-

dam ordine diſpoſuit, notiſque identidem adornavit: quo facto non modo hiſtoriam quamdam adtexuit harum ſcriptionum, quae aereis lapideiſve olim tabulis eſſent commiſſae, ſed etiam praeclare juvit ſtudium eorum, qui eſſent inſcriptiones praeſertim Latinas factitaturi, cum tot exempla, tam varia, tot per libros diſperſa unum in locum collegiſſet. Jam liber III. *ſtudii lapidarii hiſtoriam, & recentiorum ſcriptorum, qui de antiquis epigrammatis egerunt, recenſionem & catalogum complecti debebat*. Haec Donatus. At ejus partis Maffejus nullam litteram ſcriptam reliquit. Poſtremus ceteros utilitate & copia facile vincit, in quo & leges quasdam edicit, quibus internoſcere vera a fictis poſſimus, & innumerabiles prope titulos omniſque generis inſcriptiones, quae in Muſeis ſunt, ad eas leges expendit. Initium fecit ab Graecis, quae quod raro falſae deprehenduntur, non ita Maffeii diligentiam & acumen deſiderabant, uti quae ſcriptae Latine ſunt. Itaque de ſuperiore illo genere regulas tradit breviores, & certas indicat notas, ſi qua inſideat animo dubitatio, ad fidem adjungendam, abjungendamve: plura

autem diſſerit de ratione ſupplendarum vocum, quas vetuſtas exederit, deque via emendandi vertendique in Latinum quidquid Graeca marmora aut deterius, aut obſcurius loquantur. Sed ejus praecipuum ſtudium in Romanis fuit. Notaverat homo acutiſſimus, dum eruditionis cauſſa tot urbes, tot muſea inviſeret, cupiditate nonnullorum hominum, qui fictos lapides pro veris olim vendidiſſent, rem grammaticam aliquando convulſam, factam hiſtoriam fabuloſam, jocos ad ludibrium imperitorum ſeriis intermixtos; neque tamen extitiſſe aliquem vere cordatum, qui tot incommodis auderet mederi, ſive id fatali quadam ſuperiorum temporum credulitate factum, ſive metu quodam eorum hominum, qui tamdiu fabulis credidiſſent. Sed is, qui nullos ſumptus, nullas rerum aſperitates penſi habuit, quae litteris eſſent emolumento, praefatus non pauca de ratione in eo genere judicandi, nobiliſſima Italicorum muſea, quae ad eam diem inſpexerat, coepit appellare nominatim, & quid in unoquoque fictum judicaſſet, expromere. Multa ex marmoris aut colore aut

genere, multa ex ductu litterarum, multa ex anaglyptis, multa ex formulis aliiſque indiciis, quae novitatem operis, aut veteratoris fraudem olerent, repudiavit. Neque poſt muſea excuſſa libris pepercit, quos Gruterus, Sponius, Reineſius, Muratorius, alii praeterea inſcriptionum Collectores antea vulgarant; quoſque lapides ex viſu refutandi copia non fuerat, eos ex conjectura ſenſuque animi ſaepe damnavit. Quid multa? Si omnes lapides, queis aut adimit civitatem, aut litem intendit, judicare velis temere in Latium inrepſiſſe, anguſtiſſimis profecto terminis tantam doctrinam circumſcribes. Itaque ex iis jam annis, quibus Maffejana haec Ars legi coepit, nemo fere de Latinis inſcriptionibus quidquam edidit, quin ſeveritatem illam nimiam vocarit; nonnulli etiam doluere, earum legum promulgatione oppleri mentes juvenum ſuperſtitione, ingeniaque tardari. Sed viro clariſſimo optimeque de litteris merito non una apud aequiores judices parata defenſio eſt; quod alia juvenes ſapimus, alia ſenes; quod multa Maffejus, quae in eum librum fervore quodam mentis conjecerat, in

Muſeo Veronenſi repudiata jam ab ſe atque emendata demonſtravit; quod perquam grave eſt ingenia hominum ex iis, quae ipſi nunquam polire, nunquam paſſi ſunt in lucem edere, a poſteris aeſtimari; quod illae ipſae leges, quae in invidiam vocantur, ita plerumque ſunt a Maffejo propoſitae, *ut earum admonitu cautius judicemus*; nihil autem aut ipſe, aut qui operi notas adjecit, frequentius animis inculcant quam modum: modus vero non tam arte tradi, quam habitu quodam ingenii ac prudentia ſervari ſolet. Ego quidem eos, qui haec ſtudia colent, monitos etiam atque etiam velim, ne antea rejiciant quidquam aut probent, quam longo uſu & diligentiſſima lapidum minime ſuſpectorum contemplatione illud didicerint neſcio quid, quod peritiſſimi numiſmatum atque omnis vetuſtatis aeſtimatores conſecuti ſunt, ut ex ipſa ſpecie atque forma operis de antiquitate aut rurſus de novitate probabiliter conjiciant; tum iis Maffejanas regulas ſapienter adhibitas maximae utilitati fore confido ac recipio: etenim earum uſu & dubitatio ſaepe praecidi, & certior quaedam rerum notitia parari poteſt.

Dum haec jamdiu a ſe inchoata perficere cogitabat Maffejus, maxime confidere videbatur diligentiae Seguierii, quem, ut diximus, domi habebat; & cum familiariſſime quoque uteretur Joſepho Torellio ſui amantiſſimo, & omnium ſuorum conſiliorum & ſermonum participi, plura ab utroque rerum gerendarum adjumenta exigebat. His quoque adjutoribus uſus eſt, cum onus in ſe ſuſcepiſſet ſcribendarum Ephemeridum de rebus ad Italos litteratos pertinentibus, quas quod intermiſerat Apoſtolus Zenus, e re Italiae eſſe putavit Maffejus aliquem extare, qui quod dignum cognitu ederetur, referret; ſed non tam aliorum, quam ſuae gloriae ſervire voluit, cum ſaepe multus & inſolens fuerit in ſuis ſcriptis praedicandis. Opus Carolo VI. Caeſari dedicavit, & ad ſex uſque volumina, ut ſupra retulimus, perduxit. Diſces ex hoc quid ipſe praeſtiterit, cum Triſſini opera anno MDCCXXIX. Veronae typis ederentur; quam dederit ſymbolam ad perficiendam editionem Veronenſem operum S. Hieronymi; quantum in Caſſiodorio (ſeu Caſſiodoro, uti ejus obtrectatores volebant)

elaboraverit; quantum ſcenae & poeſi ſervierit; quantam vim Venetorum & Veronenſium documentorum collegerit; quanta cognitione librorum editorum excelleret; quam libenter in ſuis ſtudiis antiquitatis conquieſceret, ut nova conquireret, & ignorata explicaret; quantum lumen rebus Etruſcis attulerit; quibus argumentis demum (non enim ſingula commemoranda arbitror) retuderit Gorii loquacitatem, & Fontaninii arrogantiam coarguerit. Satis multa ſupra narravimus de diſputationibus cum Gorio habitis; reſtat ut de Fontaninio pauca dicamus. Cum Romae primum fuit, junxerat cum eo amicitiam Maffejus; ſed cum idem mirabiliter moroſus, anxius, iracundus & difficilis eſſet, *compoſuit epiſtolas* Maffejus ipſe, quod a Germanico cum Piſone actum narrat Tacitus, *queis amicitiam ei renuntiabat*. Homo ob hanc rem exarſit iracundia & ſtomacho, omneſque captabat occaſiones Maffejo, quam maximum poſſet, dolorem inurendi. Saepe erat irriſor ſcriptorum illius, & aliorum quoque odium in eumdem concitare ſatagebat; nam implacabiles erant illius

iracundiae, & nullo medicamento illius furens petulantia ſanari poſſe videbatur. Diu ſiluit Maffejus, quod ei erat perſuaſum nullam eſſe laudem, quae ex hujuſmodi concertationibus peti poſſet. Sed, eodem mortuo, cum judicium proferendum ſuſcepiſſet de libro, quem ipſe inſcripſerat; *Dell' Eloquenza Italiana*, tot illum erroribus foedatum probavit, ut eſſet hoc uno minus vitio vitioſus, quod homo multarum diverſarumque rerum molitor raptim illum confeciſſe affirmaret. Multa erant in eo aut praeterita, aut dicta ad minuendam Maffeii famam, quae res plurimum valuit ad hujus animum magis ac magis exacerbandum. Ulciſcendi igitur adverſarii cauſſa non illa modo, quae diximus *de Italica Eloquentia* vulgavit, ſed emiſit etiam Latinam epiſtolam, qua adverſus Fontaninii cenſuras rationem reddidit, quare ipſe Caſſiodorium, minime vero *Caſſiodorum* ſcribendum cenſuerit. In has ipſas *Ephemerides* litteratorum Italiae idem intulit explicationem, quam fecit, vaſis ex achate Orientali, quo nil magis affabre elaboratum fuiſſe videtur, quodque Farneſianum Muſeum

ornabat, de qua explicatione minime renovandam orationem arbitramur, quia ſatis multa de ipſa in Blanchinii vita expoſuimus. Inter haec ad amplificandas domeſticas laudes commentaria, quae de rebus ſuis ſcripſit Alexander Maffejus frater, typis imprimenda curavit. Porro beatos putabat, quibus Dei munere datum eſt aut facere ſcribenda, aut ſcribere legenda; beatiſſimos vero, quibus utrumque. Et quidem fuerat Bavaricarum copiarum ille ſupremus Ductor bello ſtrenuus & conſilii plenus, qui cum dies ac noctes cogitaſſet, qui poſſet ſe *tollere humo*, *victorque virûm volitare per ora*, ſamae & immortalitatis ſecurus ſine arrogantiae nota ea narrare ſe poſſe praelia putavit, quibus non interfuit modo, ſed etiam praefuit. Sunt in iis commentariis mirabilia multa, nihil non ſimplex & ſincerum, & ſi quid emendatione indiguit (non enim is multum litteris ſtuduerat) Scipio & emendavit, & quadam etiam elegantia oblinivit. Cum fratri quod debebat perſolviſſet, de ſcribenda agri Veronenſis hiſtoria cogitavit, quam phyſica multa ornare debebant. Nemo

enim ignorat, quantum Veronenſes praeſertim montes abundent piſcibus in lapidem converſis, ceteriſque hujuſmodi rebus ad hiſtoriam naturalem pertinentibus. Mirificum ſe ei praebebat adjutorem, ut in multis, Seguierius, qui totam aetatem in his ſtudiis conſumpſerat, quique ad confirmandum in propoſito Maffejum verſus illos uſurpabat;

Hunc obtrectare ſi volet malignitas,
Imitari dum non poſſit, obtrectet licet.

Materiae cum ſatis eſſet operi, neſcio qua de cauſſa conſilium damnaverit ſuum Maffejus; quanquam & de his rebus quaedam expoſuit in epiſtola, quae eſt in manibus, ad Condaminium. Sed fortaſſe majorem ſibi obventuram laudem, majoremque gratiam ab auctore religionis Deo ſe initurum ſperavit ex theologicis ſtudiis, quae idcirco impenſius excolebat, quod gravitate utilitateque cetera vincere diceret, utque probaret adverſariis ſuis hominem etiam laicum poſſe glorioſe & utiliter in iis verſari. *Sua cuique cum ſit animi cogitatio, colorque proprius,*

Digitized by Google

non levitas mihi (haec ferme in verba ſcribebat ad amicum) *ſed certa ratio cauſſam contexendi opus de uſuris dedit*. Sunt qui tradunt, alienos ſenſus ſuas in chartas ipſum tranſtuliſſe, ſed certe non mediocris ei tum parta gloria fuit, quod multi ejus ſententiam ſecuti ſint, & illo magiſtro, defendere ſe poſſe contenderint, mutuari quem poſſe pecuniam, & inde lucrum aliquod ſperare, quin propterea divinae legis praeſcripta violentur. Sed ut ad libri argumentum propius accedamus, principio definivit vim vocabulorum, quae ad uſuram pertinent, ut probe intelligeretur quid eſſet illud, de quo diſputabatur, & ut quiſque facile in ſenſum & mentem divinarum Scripturarum intrare poſſet. Non Latine modo & Graece, ſed & Hebraice luculenter ſcire Maffejus tibi videbitur, qui quidem dicebat ſe ſenem Hebraicas litteras didiciſſe, ſicque avide arripuiſſe, quaſi diuturnam ſitim explere cupiens. Poſt haec ea loca Scripturarum afferuntur, quae ad uſuras pertinent, neque haec modo a Maffejo explicantur, ſed etiam praecepta traduntur interpretandi dicta illa omnia, quae mo-

res

res ſpectant, in quibus nihil contineri exiſtimare debemus, quod vitae neceſſitati, & recto reipublicae ordini ac bono adverſetur. Minime dubitat, quin cuncta illa teſtimonia referri debeant ad graves uſuras, ad anatociſmum, & ad eas, quae a pauperibus exigebantur: quod ut bono in lumine collocaret, neceſſe ei fuit mores hac in re veterum Romanorum, Graecorum, atque Hebraeorum declarare. Non aliter interpretatur ſacrorum Conciliorum decreta, ex quibus, ut & ex SS. Patrum auctoritate ac teſtimoniis, magnum ſententiae ſuae ſe allaturum pondus confidebat. Poſtremo hoc loco Caſuiſtarum ſententias in medium affert, gradum inde facturus ad ea argumenta, quae a ratione pendent, non tam ſua proponens, quam contraria refellens, ex quibus conjicies fuiſſe Maffejum peracutum ad excogitandum quid in aequo verum aut eſſet aut non eſſet, & magnas ei gratias pleroſque habuiſſe, quod patrocinium arripuerit aequitatis utilitatiſque publicae, cum juſtam eſſe exactionem uſurarum defenderit, ſi modicae ſint, & ab iis ſolvantur, quibus ſunt fortunae & bona.

Id enim ſi minime concederetur, actum fore de publico commercio ii affirmabant. Nunquam ſibi magis placuiſſe viſus eſt Maffejus, quam dum hunc librum vulgavit, qui commendatur ſtili elegantia, copia doctrinae & nomine ipſo S. Pontificis Benedicti XIV., cui ad conciliandam eidem auctoritatem illum ipſum nuncupavit. Sed, quod mireris, Pontifex ipſe poſtquam plauſiſſe viſus eſt Maffeii induſtriae, ea pronuntiavit, quae illa praecepta, quae probabant non Maffejus modo ipſe, ſed & alii tum veteres tum recentiſſimi Scriptores, in quibus eminebat Nicolaus Broederſenius, funditus evertunt, ſancte affirmans, qui ex mutuo aliquid exigunt, ab iis homines laedi, & leges ac jura divina labefactari (1). Doluit quidem Maffejus

(1) In lib. X. cap. IV. §. X. *De Synodo Dioeceſana* haec habet. Verum quoniam tot doctorum auctoritate & argumentis minime perterriti praedictam exoticam opinionem nonnulli iterum refricare non dubitarunt, propterea nos ad Petri Cathedram evecti, ne Catholicae doctrinae puritas, cujus depoſitum nobis eſt a Chriſto concreditum, hac erroris labe foedaretur, datis ad Italiae Epiſcopos encyclicis litteris ſub die 1. Novembris an. MDCCXLV. haec inter

ob hanc rem vehementiſſime; nam ſi labi, errare, neſcire & decipi in quacumque re & malum & turpe dicimus, hoc magis etiam affirmare debemus in eo, quod pertinet ad morum ſcientiam. Ne tamen putes nullos nunc extare theologos, qui minime aſ-

K 2

cetera declaravimus: primo omne lucrum ex mutuo, ratione mutui uſurarium & illicitum eſſe: ſecundo ad uſurae labem purgandam nullum arceſſiri poſſe ſubſidium, vel ex eo, quod id lucrum non exceſſivum & nimium, ſed moderatum, non magnum, ſed exiguum ſit, vel ex eo quod is, a quo id lucrum ſolius cauſa mutui depoſcitur, non pauper, ſed dives exiſtat, nec datam ſibi mutuo ſummam relicturus otioſam, ſed ad fortunas ſuas amplificandas, vel novis coemendis praediis, vel quaeſtuoſis agitandis negotiis utiliſſime ſit impenſurus: tertio quanquam una cum mutui contractu poſſint quandoque alii tituli, ut ajunt, forte concurrere, ipſi mutuo extrinſeci, e quibus juſta oriatur cauſſa, aliquid ultra ſortem ex mutuo debitam exigendi, attamen falſo & temere affirmare diximus, ejuſmodi titulos ſemper reperiri & ubique praeſto eſſe, ita ut illorum ratione, quotieſcumque pecunia, frumentum, aliudve id generis, alteri cuicumque creditur, toties ſemper liceat auctarium moderatum ultra ſortem integram ſalvamque recipere. Alia praeterea ediximus, atque in contractibus ſervanda commendavimus... ne uſurae macula inficiantur.

ſentiantur Maffeii ſententiae, qui velis, ut ita dicam, remiſque contendant minime illam adverſari aeternae legi, quae dux vitae & magiſtra officiorum eſſe debet. Quod quidem ſolari poterat hominem, qui omnia minora fama putabat, & qui tanta apud pleroſque erat in opinione doctrinae, ut ſaepiſſime de moralibus quaeſtionibus conſuleretur. Haec enim ſtudia praeſertim oblectabant ejus ſenectutem, quanquam & gauderet interdum poeſi, phyſica, & quod mireris, aſtronomia, cum ſpeculam ſuis in aedibus exaedificaſſet. Cogebatur etiam ſaepe redire ad antiquitatem, ut conſulentibus reſponderet; & quae de feſtis veterum, de obeliſcis, de Quiriniano quodam dyptico, & de caminis (diſputabatur enim, utrum veteribus fuerint in uſu) exaravit, non mediocri in pretio habentur. Atque haec quidem ſtudia ſunt doctrinae, quae quidem prudentibus & bene inſtitutis pariter cum aetate creſcunt, ut honeſtum illud Solonis ſit, quod ajebat verſiculo quodam, ſeneſcere ſe multa in dies addiſcentem. Sed quam amabat etiam oblectamenta rerum ruſticarum! Quam libenter &

jucunde cum amicis ſuis ruri commorabatur! Poterat ne tantus animus, qui ſemper viguit in eo, non jucundam efficere ſenectutem? Quia vero nihil tam delectat ſenes, quam honorari, appeti, decedi, aſſurgi, deduci, reduci, conſuli, hac voluptate licebat frui Maffejo, de quo conſenſiſſe videbantur Veronenſes omnes, populi primarium eſſe virum. Non in ſententia ſolum, ſed etiam in nutu reſidebat ejus auctoritas; & cum omnes in illo honorando certarent, ne hujus ſingularis ſtudii memoria moreretur, illi viventi celeberrimo in loco ſtatua marmorea poſita fuit. Cum a juventute maxime diligeretur & coleretur (non enim erat, ut ſunt plerumque ſenes, moroſus & durus) mirum quot excitaret ad praeclara ſtudia colenda, & ad magnos pro litterarum & patriae gloria excipiendos labores. Ut vero omnibus probaret, ne ſeni quidem licere languidum & inertem eſſe, eique ſemper agendum aliquid quale cujuſque ſtudium in ſuperiore vita fuit, librum de Arte magica ſcribendum ſuſcepit. Antea quidem opuſculum ediderat cum hac inſcriptione: *L' Arte ma-*

magica dileguata, cui occaſionem dedit Hieronymi Tartarotti liber de ſagis, in quo quamvis plures aniles errores ſuperſtitioneſque funditus everterit, magicae tamen arti plurimum is concedere videbatur. Hoc ſapientis hominis minime putavit Maffejus, quare ad ſanandos inſitos mentibus vel prudentiorum errores opuſculum, quod memoravimus, in vulgus emiſit. Plures calamum ſumpſerunt ad confutanda dicta Maffeii, quare hic & veritati & gloriae ſuae ſe ſervire arbitratus eſt, ſi argumenta, quae anguſte referſerat, dilataſſet, & majori rationum teſtimoniorumque copia confirmaſſet. Magorum ſacra, ſomniorum interpretes, illos omnes, qui infernas umbras carminibus ſe elicere, nubila pellere, nubila tempeſtateſque inducere, ſuoque pene arbitratu naturalia omnia miſcere & gubernare, futura praedicere, & multa hujuſmodi prodigia Daemonis ope ſe edere gloriantur, auctore Maffejo, non contemnendos ſolum, ſed etiam irridendos judicaveris. Quas ineptias dum convellere ſtudet Maffejus (omnis enim ſuperſtitio imbecilli animi atque anilis eſt) mirari ſe ait affirma-

tum a graviſſimis theologis, eſſe vere magicam artem, & eum, qui in ſacrorum librorum & SS. Patrum lectione fuerit verſatus, non conjuncturum profecto cum Aegyptiorum dementia & poetarum erroribus omnium portenta magorum. Nihil ad hoc genus pertinet, quod non diligentiſſime conquiſierit Maffejus, & cum omni eruditionis copia opus ſuum (1) ornaſſet, de adverſariorum ſuorum aut imperitia, aut levitate viſus eſt triumphaſſe. Theologum praeſertim agit cum exponit SS. Patrum ſententias, ut probet vim ferme omnem & poteſtatem Daemonum Chriſti morte extinctam fuiſſe, & quae ex ſacris libris affert, declarant quidem acumen interpretis. Ex quibus omnibus confici poſſe videtur merito, a ſapientioribus veterum deriſos fuiſſe magos, nec minus a nobis, ſi ſapimus, deridendos.

(1) Editum fuit Veronae an. MDCCLIV. cum hoc titulo: *Arte magica annichilata lib. III.* In extremo libro haec auctor adnotavit. *Terminata a gloria di Dio il primo Giugno 1754., nel qual giorno l' Autore entra la Dio grazia felicemente nell' ottanteſimo anno dell' età ſua*,

Non enim ſunt ii aut ſcientia aut arte divini,
Sed ſuperſtitioſi vates impudenteſque harioli,
Aut inertes, aut inſani, aut quibus egeſtas imperat (1).

Extremo in libro ſcripta ſua & vel poetica & hiſtorica defendere debuit Maffejus a reprehenſionibus Tartarotti, qui more inimicorum non ſuae modo defenſor ſententiae, & alienae oppugnator, ſed injurioſus & contumelioſus in eos eſſe voluit, qui dictis ſuis minime ſubſcripſiſſent. Praeter quam quod fuit quaedam fortuna fatalis Maffejo, ut ubique fere adverſarios & obtrectatores laudum ſuarum inveniret (2), cum quibus omnibus ſi luctari voluiſſet, aliud in tota vita egiſſet nihil. Sed Enniana illa verba uſurpans lepide ajebat: malo ego illos contemnendo *ſapientipotens*, quam ulciſcendo *bellipotens* videri. Poterat etiam ſe ipſum ſolari laudis

(1) Ennius apud Ciceronem lib. de Divinat.

(2) Vid. quae in vita Petri Jacobi Martellii narravimus de controverſiis, quas hic habuit cum Maffejo: Tom. V. p. 287.

Digitized by Google

conſcientia, iiſque opponere inſignes & effuſos ſuorum meritorum praedicatores, cujus partis principes Jeſuitae numerabantur. Quanti illa quoque facienda magnis Principibus Lud. XV., Carolo VI. Caeſari, Regi Sardiniae, cui erat a cubiculis, Bavariae Electori, a quo inter *Clavis auratae Equites* fuerat adſcitus, Benedicto XIV. Pontifici Maximo, & Veneto Senatui non placuiſſe ſolum, ſed maximis de rebus, quae ad litteras pertinebant, ab eorum pleriſque conſultum fuiſſe! Quot inſignes doctrina viri ſcripta ſua illi dedicarunt! Quis illo magis floruit amicitiis & potentium & gratioſorum ceterorumque, quos aut nobilitas, aut ingenium commendabat? Ratio ipſa monebat amicitias comparare, comitas, facilitas & opinio virtutis conciliatrices erant benevolentiae, partiſque amicis ſic fruebatur, ut in iis oblectamenta & ſolatia vitae facile reperiret. Nihil tulit gravius, quam ſibi aliquando alienati animi ſigna dediſſe Apoſtolum Zenum, nihilque non egit, quod ad illius recuperandam gratiam conduceret. Eamdem ob cauſſam viſus eſt iraſci iis, qui Antonii

Mariae Salvinii laudibus ſe minus favere dictitabant, eaque propter omnes captabat occaſiones de illo honorifice loquendi, & poſtquam in publicum emiſit Catullianam Elegiam ex Callimacho de Berenices coma ab eodem elegantiſſime in Graecum converſam, idem ſe facturum ſpopondit, ſi potuiſſet eſſe poſſeſſor hujuſmodi deliciarum. Quamvis accuſaretur, multa Jeſuitarum opinione ponderare, & gratiae aut odio illorum ſolere ſubſcribere, ſi ea tamen excipias quae *de Hiſtoria Theologica* exaravit, quaeque veritatis amorem ab ſe obtinuiſſe ſancte affirmabat, ceteris in ſcriptis illius nulla indicia hujuſmodi ſtudii apparere mihi videntur. In colendis amicitiis exempla egregia dedit liberalitatis, pene ut coegerit fortunam criminis puduiſſe ſui, quod ei amplum patrimonium ad multorum gratiam ſibi demerendam minime conceſſerit. Valebat induſtria in agendo, celeritate in conficiendo, conſilio in providendo; ne vero ſuccumberet labori, & ut ad cogitandum melior ſibi mens rediret, pomeridiana tempora familiaribus ſermonibus libenter concedebat. Con-

currebant omnes ad ejus domum, in qua nihil erat niſi religioſum & caſtum, & ipſa domini religio omnino ſingularis, & par humanitas vel aſperiores natura homines non invitabant modo, ſed etiam alliciebant. Cum nanciſceretur homines loquendi elegantiâ pollentes, mirifice iis delectabatur, quod ipſe eſſet elegantiarum omnium ſtudioſiſſimus. Ne tamen exiſtimes velim aurea ſemper illum fudiſſe verba. Ejus enim ſcripta Latina raro ſermonem purum conſervant ab omni vitio remotum: Italica vero, quamvis hominem in ſcribendo exercitatum, urbanum, elegantem declarent, habent tamen interdum quoſdam dicendi modos, qui ſemper non implent aures meas, & quos humiles & abjectos facile dixeris. His maculis, meo judicio, ne ipſa Merope quidem caret, & nimium fortaſſe Comoediae ejus abundant. Numiſmata, quae ſumma cura collegerat, amicis diſtribuit: manuſcripta Graeca, Latina atque Italica Collegio Canonicorum Veronenſi donavit; & alia aliis legavit. Quare illius ſupremas tabulas tanquam inſigne teſtimonium ejuſdem pietatis in Deum, ca-

ritatis in ſanguine conjunctos, & bonitatis liberalitatisque in amicos omnes, facile praedicaveris. Ex aſthemate, quod ſenſim coaluerat, cum laboraret, nec jam videret ſibi diutius vivendum, divinis rebus unice operam dedit. Tum vero intellectum quantum univerſae civitati carus eſſet, cum preces publicae indictae fuiſſent, & ſacrificia pro ejus ſalute magna cum cerimonia peracta. Cum vero ex hac vita deceſſiſſet prid. id. Feb. anno MDCCLV. exequiis, pompa, laudatione ejus memoria celebrata fuit, perinde ac ſi lumen, decus & ornamentum civitatis extinctum eſſet. Sepultus eſt in Aede S. Mariae, cui ab Scalis nomen eſt; & quo perpetuo verſarentur ante oculos Veronenſium tanti viri imago & exemplum, ſtatua eidem publica pecunia in foro poſita fuit.

INDEX OPERUM

Qualis ab Editore Artis Criticae Lapidariae editus eſt. Secuti enim hunc ſumus, quod nulli diligentiae in eodem Indice conficiendo is pepercisse videatur.

P*Er la naſcita del Principe di Piemonte Genetliaco* : Romae 1699. 12. Infra dies octo bis recuſum cum *Lud. Anſelmi Gualterii* adnotationibus 12. Iterum Venetiis in tertia *Meropis* editione apud *Jac. Thomaſini*: dein ibidem *con Rime e Proſe* ejuſdem Auctoris 1719. 4. & demum Veronae *nella Raccolta delle Poeſie*. De eodem Vid. *Cinnellum Biblioteca Volante*. T. III. p. 232. *Quadrium* Vol. II. p. 253. Diar. Liter. Ital. Tom. XX. pag. 465.

Il Sanſone Oratorio per Muſica, Florentiae 1699. 12. Extat etiam in libro vulgo *delle Poeſie e Proſe* ejuſdem Auct. Veronae 1719. & in II. Vol. *delle Poeſie*, Veronae 1752.

Concluſioni d' Amore, Veronae 1703. 12. Iterum Venetiis *tra le Proſe* 1719. 4. Gallica etiam fuerunt verſae, & editae Bruxellis, vel potius Pariſiis 1755. in libro, cui titulus: *Melange des maximes, des reflexions, & des caracteres par M. D. . . D. . . licentie en droit* 8. in quo e regione textus Italicus.

La prima radunanza della Colonia Arcadica Veroneſe, Cerviae 1705. 4.

Giudizio ſopra le Poeſie Liriche di Carlo Maria Magi

gi in Epiſtola àd Comit. Ant. Garzadoro. Venetiis 1706 8.

Della Scienza chiamata Cavallereſca, Romae 1720. 4. Venetiis 1711. cum adprobatione Academiae vulgo *della Cruſca*, & peramplo Indice, Neapoli 1718. cum praefatione & adnotationibus Sebaſt. Pauli Congregationis Matris Dei. Panormi 1720. & alibi.

Prefazione del Primo Tomo del Giornale de' Letterati d' Italia. Venetiis 1710.

Succinta notizia de' MSS. che ſi conſervano nella Real Libreria di Torino con alcuni anedoti da eſſa tratti. Lettera al Sig. Apoſtolo Zeno ſub diè 6. Junii 1711. in Diar. Liter. Ital. T. VI. edit. eodem anno.

De Fabula Equeſtris Ordinis Conſtantiniani, Pariſiis (Tiguri nomine) 1712. 4. Iſtiuſmodi editio concredita fuit Cl. Montfauconio.

Lettera al Valiſnieri ſopra i fulmini ſub die 10. Septembris 1713. Recuſa inter Proſas Auct. cum aliis epiſtolis 1747. Gallice verſa in Bibliotheca Italica T. IV. p. 193. ubi falſo dicitur ſcripta an. 1722.

Merope Tragedia Venetiis 1714. 8. Typis Jacobi Thomaſini.

Epiſtola ad Cl. Bacchinium de nonnullis fragmentis ſub nomine S. Irenaei in Bibliotheca Regia Taurinenſi adſervatis, & a Pfaffio evulgatis, edita in Vol. XVI. Diar. Liter. Ital. p. 245. cuſo 1714. Altera Epiſtola de eodem argumento ad *Bacchinium* extat inter opuſcula ad calcem Hiſt. Theolog. p. 10.

Epiſtola III. *ſopra i frammenti Greci dati in luce nel Tomo XVI. del Giornale* recuſis apud Batavos ſub nomine *S. Irenaei*. Vid. cit. Diar. T. XXVI. p. 53.

iterum edit. inter *Proſas*, & ad calcem Hiſt. Theologg. p. 15. ſub die 3. Aprilis 1719. Altera Epiſtola ad Cl. *Bacchinium* de iisdem Fragmentis edita inter opuſcula ad finem Hiſt. Theol.

Rime e Proſe del Sig. Marcheſe Scipione Maffei parte raccolte da varj libri, e parte non più ſtampate aggiunto anche un ſaggio di Poeſie Latine dell'iſteſſo Autore, *Venetiis* 1719. 4. Epiſtolam (quae in hac collectione eſt de *Priſcis Veronae Epiſcopis*) habet etiam in *Italia Sacra* Ughelli ex edit. Coleti. *La lezione ſopra il vario guſto de' Poeti Italiani* recuſa eſt in opere Biſſi Soc. Jeſu in libro, qui inſcribitur: *Introduzione alla volgar Poeſia*, Lucae 1755. & in Gallicam linguam verſa, adnotationibus aucta in Bibliot. Italica T. I. p 223. & Tom. II. p. 276. in qua reperies etiam quidquid Maffejus elucubravit in cit. Diar. Liter. Ital., ſi excipias ejuſdem Auctoris experimenta *ſpeculo uſtorio* facta, & compendium operis Bacchinii de *Eccleſiaſticae Hierarchiae originibus*, & alia etiam. Vid. Pindemont. *Riſpoſta &c.*

Dell' antica condizione di Verona ricerca iſtorica Venetiis 1719. 8. (Vid. Diar. Lit. Ital. T. XXXIII. P. II. p. 524.) D. Abb. Sambuca iſtiuſmodi opus recuſit in libro, qui inſcribitur: *Raccolta delle coſe ſpettanti a Cenomani*. Brixiae 1750.

Traduttori Italiani, o ſia notizia de' volgarizzamenti di antichi Scrittori Latini e Greci, che ſono in luce, aggiunto il volgarizzamento di alcune inſigni Iſcrizioni Greche, e la notizia del nuovo Muſeo d' Inſcrizioni, Veronae *col paragone fra le Iſcrizioni e le medaglie* Venetiis 1720. 8.

Epiſtola di S. Gio. Griſoſtomo a Ceſario rappreſentata come ſta nel Codice Fiorentino, Florentiae 1721. 8. eodem anno bis edita fuit ibidem, iterum recuſa in Hiſtoria Diplomatica, & inter Opuſcula ad calcem Hiſt. Theolog.

Caſſiodorii Complexiones in Epiſtolas, & Acta Apoſtolorum, Apocalypſim e vetuſtiſſimis Canonicorum Veronenſium membranis, nunc primum erutae, Florentiae 1721. 8. Samuel Candlerus eodem anno recuſit Londini, & anno 1723. tertia editio Roterodami: ab Auctore recuſae ſunt etiam in fin. Hiſt. Theologicae.

Teatro Italiano Vol. I. II. *o ſia ſcelta di dodici Tragedie per uſo della ſcena, premeſſa un' Iſtoria del Teatro e difeſa di eſſo*. Veronae 1723. Vol. II. 8. *Del Teatro Italiano*. Vol. III. Veronae 1725. Idem opus recuſum Veronae 1728. iterum Venetiis.

Literarum Graecarum poteſtas & affectiones. Veronae 1726. 8.

Iſtoria diplomatica, che ſerve d' introduzione all' Arte Critica in tal materia, con raccolta di documenti non ancora divulgati, che rimangono in papiro Egizio, con ragionamento ſopra gl' Itali primitivi, per appendice l' Epiſtola a Ceſario, *Atti de' SS. Fermo e Ruſtico, e vita di Zenone*, *Mantuae* 1727. 4. Circa hujus anni finem, & inſequentis initium iterum *Caſſiodorii* editionem molitus eſt. De qua nonnullas elucubrationes prooemiales habes in hiſtoria Theologica: ideſt diſputationem, quae inſcribitur *Caſſiodorii Complexiones Catholicis dogmatibus egregie concinere*: Alteram, cui titulus, *de Romanorum nominibus*, *qua de iis, quae in Caſſiodorianae editionis fronte immutanda*

ſunt, *ratio redditur*, *& nobile argumentum ſuſe*, *lateque illuſtratur*, *cum docta praefatione de Caſſiodorii Commentario in Pſalmos*: (Oſſervazioni Letterarie T. III.)

Supplementum Acacianum monumenta nunquam edita continens. *Venetiis* 1728. 8. Eodem anno recuſum in V. Vol. Collectionis Conciliorum edit. Coleti: iterum inter opuſcula ad calcem Hiſtoriae Theologicae, & illuſtratum a Cl. P. de Rubeis in Diſſertatione de una ſententia Damnationis in Acacium, Venetiis 1729.

Commedia delle Cerimonie, Bononiae 1728. 8. iterum Venetiis eodem anno in 8.; recuſa etiam in Theatro ejuſdem Auctoris, Veronae 1730. Dein ibidem Typis Petri Antonii Berno 1732. & anno 1752. *fra le Poeſie T. II.*

Degli Anfiteatri, Veronae 1728. 8. iterum in opere qui inſcribitur. *Verona Illuſtrata*.

Teatro del March. Maffei, *cioè la Merope*, *le Cerimonie*, *e la Fida Ninfa*. Veronae 1730. 8.

Lettera ſopra il caſo di Ceſena. Veronae 1731. 8. iterum *tra le lettere de' Fulmini* 1747.

Verona Illuſtrata 1732. in fol. T. II. & in 8. T. IV.

Proſpectus (a noſtro Auctore Italice ſcriptus) *univerſalis Collectionis Latinarum veterum*, *ac Graecarum Ethicarum*, *& Chriſtianarum Inſcriptionum*, *quem nova Veronenſis Societas totius Europae doctis*, *reique antiquariae ſtudioſis hominibus exhibet ac proponit*: Italice ab noſtro Auct. ſcriptus; hunc Beccellus recuſit 1746. Veronae in fine *Siglarum Grae-*

earum p. 121. Gallice verſum habes in Bibl. Ital. T. XV. art. IV. p. 84.

Scipionis Maſſeii Marchionis Epiſtola, in qua tres eximiae, ac nunquam antea vulgatae Inſcriptiones exhibentur, atque illuſtrantur, Veronae Typis Jacobi Vallarſii 1733. in 4. Iterum edita in Galliae Antiquitatibus, & in Biblioth. Ital. T. XIV. p. 312. & in Muſeo Veronenſi p. 322.

Galliae Antiquitates Pariſiis 1733. 4. & Veronae 1734. quibus accedunt duae aliae Epiſtolae.

La religion de' Gentili nel morire. Pariſiis 1736. 4. Extat in I. Vol. *Oſſervazioni Lettera ie*.

Eodem anno 1736. edidit *Londini Traduzione del primo libro dell' Iliade* 8; recuſa in I. vol. *delle Oſſervazioni Letterarie*, & in opere, cui titulus; *Traduzioni Poetiche*.

Memorie del General Maffei, Veronae 1737. 12. Ex Italico Gallice redditae, & editae Hagae Comitum Typis Joh. Neaulme.

Oſſervazioni Letterarie, che poſſono ſervir di continuazione al Giornale de' Letterati d' Italia, Veronae 1737. 12. T. I.

Oſſervazioni Letterarie Tom. II. & T. III. Veronae 1738. 12.

Oſſervazioni Letterarie, T. IV. Veronae 1739. 12. T. V. ibid.

Oſſervazioni Letterarie, T. VI. Veronae 1740. 12.

Diſſertazione ſopra le parole Nama Sebeſio. Romae 1741. in III. Vol. *Diſſertationum Academiae Cortonenſis*.

Iſtoria Teologica delle dottrine e delle opinioni corſe

ne' cinque primi ſecoli della Chieſa in propoſito della Divina Grazia, del libero arbitrio e della Predeſtinazione, Tridenti 1742. fol.

Acceſſerunt huic Hiſtoriae varia ejuſdem Auctoris opuſcula Eccleſiaſtica partim edita, partim inedita, nimirum:

Succinta notizia de' MSS. nella Real libreria di Torino.

Eſame di alcuni frammenti Greci uſciti dalla medeſima, e nuovamente venuti in luce col nome di S. Ireneo. Per occaſione di eſſi prove irrefragabili della Dottrina Cattolica in propoſito dell' Eucareſtia.

Nell' iſteſſo argomento lettera II. e III.

L'Epiſtola a Ceſario rappreſentata come ſta nel Codice Fiorentino, e illuſtrata con alcune conſiderazioni, che affatto diſtruggono quanto ſi è ſcritto dagli Eterodoſſi in propoſito di eſſo.

Come da' MSS. antichiſſimi del Capitolo di Verona ſi può ſicuramente raccogliere, che il carattere chiamato Gotico e Longobardo altro non è che il corſivo antico de' Romani, e molti ſaggj de' loro caratteri.

Bibliothecae Veronenſis MS. Pars prior Capitularium Codicum notitiam complectens. Codices Biblici, & Hieronymiani . . . Codices, in quibus Concilia & Canones continentur. *Codices*, monumenta nondum edita continentes. *Codices* varii . . . Codices liturgici . . . Acta quaedam vetera ex Veronenſi Tabulario Capitulario.

Caſſiodorii complexiones in Epiſtolas, & Acta Apoſtolorum, & Apocalypſin e vetuſtiſſimis Canonicorum Veronenſium membranis nunc primum erutae,

& Praefationibus, atque adnotationibus illuſtratae.

Caſſiodorii Complexiones Catholicis dogmatibus egregie concinere adverſus Cl. V. Samuelem Chandlerum.

De nova Caſſiodorii editione adornanda.

De Romanorum nominibus Diſſertatio, qua de iis, quae in Caſſiodorianae editionis fronte immutanda ſunt, ratio redditur, & nobile argumentum fuſe lateque illuſtratur.

De Caſſiodorii Commentario in Pſalmos.

In Veronenſem S. Hilarii editionem Praefatio

Felicis III. Epiſtola, qua percelebris, ſed involuta *Acacii* cauſſa in optimo tandem lumine collocatur. cum praefat. & adnotationibus.

Felicis III. *& Gelaſii Epiſtolae duae.*

De Priſcis Veronae Epiſcopis.

De' Verſi Ritmici, e dell' origine loro per occaſione de' due ritmi nell' entecedenti operette riferiti.

Frammento inſigne di Storia Eccleſiaſtica del IV. ſecolo con documenti originali. Eamdem Hiſtoriam Theologicam ex Italico Latine reddidit Cl. Frid. Reiffembergius Soc. Jeſu, Francofurti ad Moenum, & Moguntiae apud Franc. Vattentrapp. 1756. in fol. in qua edidit omnes apologias pro ipſa Hiſtoria, & rejecit omnia opuſcula, quae ad Gratiae diſputationem non pertinent.

De Haereſi Semipelagiena, Roboreti 1743. 12. iterum edita inter opuſcula Calogeriana T. XXIX. & in Latina verſione dictae Hiſtoriae Theologicae extat alia editio.

Dell' impiego del denaro. Veronae 1744. 4. iterum

una cum Epiſtola ad Summum Pontificem, & Encyclica Benedicti XIV. Romae 1746. & Baſſani 1756. 4.

Primo abozzo di Storia Univerſale, *Verona* 1745. 12. & Venetiis in Collectione Calogeriana T. XXXII.

Graecorum ſiglae lapidariae collectae, atque explicatae. Veronae 1746. 8.

Traduzioni Poetiche, *o ſia tentativi per ben tradurre in verſo eſemplificati col volgarizzamento del primo libro dell' Iliade* (fatto dal *Maffei*) *del primo dell' Eneide* (fatto dal Sig. *Giuſeppe Torelli*, cujus eſt eruditiſſima Praefatio) *e di alcuni Cantici della Scrittura*, *e d' un Salmo* (dell' iſteſſo Maffei). Veronae ex Typografia Seminarii 1746. 8.

Della formazione de' fulmini e degl' inſetti rigenerantiſi e de' peſci impietriti e dell' elettricità, Veronae 1747. 4.

Il Raquet Commedia. Veronae & Venetiis, Typis Coleti 1747. 8.

Tre Lettere, *I. ſopra il Tomo I. di Dione*, *II. ſopra le nuove ſcoperte d' Ercolano*, *III. ſopra il principio dell' Iſcrizione Piacentina*, Veronae 1748.

Lettera ſopra le feſte dei Gentili. Piſauri 1748. 4.

Arte Magica dileguata. Veronae, 1749. 5. Iſtiuſmodi opuſculum Gallice verſum, & recuſum eſt una cum Diſſertatione P. Calmet.

Muſeum Veronenſe, *cui Taurinenſe* adjungitur, & *Vindobonenſe*, Veronae 1749. fol. cum fig.

I primi Canti dell' Iliade tradotti in verſi Italiani, Veronae 1749. 8.

Arte magica diſtrutta ſotto nome di Antonio Flori, Tridenti 1750. 4.

Digitized by Google

Iſcrizione Greca eſaminata, Veronae 1750. 4.

Riſpoſta all' Anonimo impugnatore dell' Iſtoria Teologica, Veronae 1750. 12.

Replica all' Anonimo, Veronae 1750. 4.

Conferma delle Riſpoſte date all' Anonimo. Veronae 1751. 4.

Lettera ſull' obeliſco ſcoperto in Roma in Commentario Cl. Bandinii de Obeliſco &c. Romae 1750. & in Collectione Calogeriana T. XLV.

Lettera ſopra il Rinoceronte, Venetiis 1751. in cit. Collectione Calogeriana T. XLV.

Leonis Sapientis Homilia, Patavii 1751. 8.

Gianſeniſmo nuovo dimoſtrato nelle conſeguenze il medeſimo, o anche peggiore del Vecchio, Venetiis 1752. 4.

Dei Camini degli Antichi Diſſertatio in Collectione Calogeriana T. XLVII. edit. Venetiis & in Vol. II. *delle Poeſie*, Veronae 1752. Typis Antonii Andreoni 8.

De Teatri antichi e moderni, Veronae 1753. 4.

Arte magica annichilata, libri tre con un' appendice, Veronae 1754. 4.

Dittico Quiriniano, Veronae 1754. 4.

Lettere del Maffei: I. in II. Vol. Operum Gregorii Majanſi, edit. Matriti 1735. II. in libro, cui titulus: *Obſervationes nonnullae cum litteris variorum ad ea, quae ſcripta ſunt de Ab. Hyacintho ex Comitibus de Vinciolis* pag. 148. III. in libro Comitis Rainaldi Carli, cui titulus: *Degli Argonauti* p. 138. IV. & in opere, quod inſcribitur: *Raccolta di ſcritture concernenti la diminuzione delle Feſte* edit. a Cl. Muratorio Lucae 1748. V. in Deſiderati Pindemontis *Riſpoſta univerſale all' oppoſizioni fatte all' opere del Sig.*

Digitized by Google

Marcheſe Maffei edit. Veronae 1754. p. 99. ſeqq. VI. & in libro demum cui titulus: *Memorie Iſtorico-Critiche intorno all' antico ſtato de' Cenomani.*

Opera Maffejo adſcripta.

Una Traduzione di certa Relazione di Parnaſſo, Abb. Artigny. Eſt D. Rolli.

Nonnullae elucubrationes editae Pariſiis a quodam Scriptore Ephemeridum rerum geſtarum vulgo *Foglietante* Maffeii nomine.

Editio operum S. Paulini, Veronae 1736. eidem Maffejo attribuitur ab Advocat.

Aliorum Opera, quibus Maffejus ſuam ſymbolam contulit.

Nella Raccolta di tutte le opere di Gio. *Giorgio Triſſino*. Veronae 1729.

Vid. ejuſdem *Triſſini* vitam elucubratam a D. *Caſtello* & Art. VI. Vol. II. *Oſſervazioni Letterarie* p.88.

In nova Editione Operum S. Hilarii Epiſcopi; Veronae 1730. vid. Opuſcula in fin. *Hiſt. Theologicae*.

In eximia Editione Operum S. Hieronymi, *Dominici Vallarſii* cura prodiit Veronae primum 1734.

In Editione S. Zenonis cura *Fratrum Ballerinorum* Veronae 1739. Confer. Praefat. p. 5.

Opera promiſſa & imperfecta relicta.

Ars Critica Lapidaria vid. *Oſſervazioni Lett.* Tom. I. p. 243. T. IV. p. 336. T. VI. p. 425. Becellum in *Siglis Graec.* p. 117.

Raccolta univerſal d' Iſcrizioni (*Oſſervazioni letterarie* Tom. I. p. 243.)

Siglae Latinae in Muſeo Veronenſi premiſſae:

De uſu & praeſtantia Iuſcriptionum antiquarum. Becelli l. c. p. 118.

Antichità figurate. Becelli l. c.

Monumenti Etruſchi. Becelli l. cit.

Bibliotheca MS. Veronenſis (*Oſſervazioni Letterarie* T. I. p. 57. T. VI. p. 409.)

Della poeſia degli Ebrei. Torelli prefazione alla verſione d' alcune poeſie della Sacra Scrittura p. 153.

Una nuova Edizione dell' Opera del Paſtrengo de originibus rerum, *o piuttoſto* de Viris Illuſtribus, *Ver. Illuſtr.* Part. II. ubi de *Gulielmo Paſtrengo*.

Angelus Fabronius

Gasparo Mollo

E

Lusciani Ducibus

S. P. D.

NEſcio quo fato in ea nunc devenimus tempora, quibus omnes tacito quodam ſenſu ſine ulla arte ac ratione, quae ſint in artibus ac rationibus, recta ac prava dijudicare ſe poſſe putant; & quamvis verum ſit, plus ſine doctrina prudentiam, quam ſine prudentia valere doctrinam, veriſſimum tamen illud etiam puto, quemadmodum de pictore, ſculptore, fictore niſi artificem, ſic de alienis ſcriptis niſi eum, qui artificioſe ſcribit, poſſe recte judicare. Hinc fit, ut plerique ſaepe damnent, quod non intelligunt, nec parcant ipſis ſummis viris, qui ad decus & gloriam Litteratorum reipublicae nati videntur. Ut olim Homerus, nunc vel ab iis, qui ſapere putantur, redarguitur Dantes, nec in

telligunt infeliciſſimi Cenſores in dirigendis hujusmodi judiciis naturam, fabulam, materiem, σκοπὸν poematis, nec non mores, ingenium, religionem, dogmata ſaeculi, in quo vixit poeta, omnemque demum ſtatum reipublicae ſpectandum, & in perſcrutandis omnibus operis partibus pene ad ſcribendi ſollicitudinem, ut monebat Quintilianus, deſcendendum. Qui magna exemplaria omnium ſaeculorum, omniumque hominum adprobatione & conſenſu laudata reprehendere audet ob quaedam vitia, & ſi vis etiam errata (nam quandoque bonus, ut ajebat ille, dormitat Homerus) minime audiendi ſunt, & tanquam homines, qui cor non habent, neque pulchritudinum adſpectu moventur, & qui cum ſint ipſi vitioſiſſimi, nil niſi maculas & naevos vident, contemnendi. Sane paucorum eſt artem criticam exercere, quod munus non tam artis, quam naturae exiſtimandum eſt. Eloquentem enim philoſophum nullus recte judicabit, niſi ſenſum habeat humanitatis & virtutis, ac nullus de optimo genere orationis & poeſis ex vero pronuntiabit, niſi iidem motus ciantur in illo, qui his ſcriptis cauſſam dederunt, quibuſque velut igne quodam tum ſcriptoris tum auditoris animus de-

bet incendi. Ipſa ars judicandi ex natura effi- cta videtur, cum ipſam tantummodo conſuluerit, & praecepta, quae olim, hac conſultrice, condidit, & diſperſa collegit, quamvis ſancta putentur, facile violari patietur, ſi ſuadebit utilitas, quam, relictis magiſtrorum auctoritatibus, in primis ſe- quendam eſſe monebat meo quidem judicio mo- nitorum omnium ſapientiſſimus Quintilianus. Si magnus ut Sophocles & Cornellius (doleo vehe- menter tragicos poetas deeſſe Italiae, qui Grae- cis poſſint aequari) admirationem commovebis, ſi ut Euripides & Racinius, mollis & tener rigi- diorum animos afficies, ſi ut Homerus, Dantes & Areoſtus, res ſic pingas, ut ante oculos poſitae videantur, neque paucis offendar maculis, neque inquiſitor nimium ſeverus exigam ſcripta tua ad omnes leges & praecepta Ariſtotelis; & extor- quebis a delicatioribus, ut fateantur minime prae- cidendam quamdam libertatem, immo licentiam iis, qui magna tentare & volunt & poſſunt. Profecto neque Homerus, neque Dantes, neque Cornellius e Gallis, neque Sakſpearius e Britan- nis, ut de ceteris ſileam, adeo admirandi exti- tiſſent, ſi noſtris vixiſſent temporibus, quibus cri-

Digitized by Google

dicii fundamentum eſſe debeat litterarum & veritatis amor, mirari debemus Cenſoris munus eos plerumque ſibi aſſumere, qui partium ſtudio ducuntur, & qui quidquid habent vocis & linguae, in turpiſſimum calumniae quaeſtum conferre non dubitant. Neque illud magis admiror ſemidoctos homines tantum ſibi in hoc genere tribuere, quantum vel doctiſſimi minime auderent, cum nihil difficilius ſit in omni re videre, quid ſit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non. Id ex eo praeſertim intelligi poteſt, quod plurima effluxerunt ſaecula, antequam homines didicerint in rebus phyſicis patienter & lente interrogandam naturam, plura eventa inter ſe conferenda atque conjungenda, ipſa experimenta, ne irrepat error, ſaepius repetenda, & ad pauca aſpirandum inventa, quod raro & ſero & quaſi per gradus verum omni ex parte ſe ſe prodat. Eadem ferme dicito de metaphyſica, quam cum diu ſeparaſſent homines a morum ſcientia, ut inanibus ſpeculationibus totam concederent, viſi ſunt imitari Virgilianum illum luctatorem, qui alterna brachia & protendit & jactat, & auras verberat ictibus. Ut in humanioribus litteris, ſic in hujuſmodi diſciplinis quoddam ſa-

nioris critices genus locum habere debet, quod devios revocet, & rectum ingreſſos iter in propoſito confirmet; quam cenſoriam poteſtatem ii tantummodo poterunt ſibi arrogare, qui diu & multum ſint in philoſophicis ſtudiis verſati. Si me audiunt, hi cordati viri philoſophiae imperium ad alias quoque artes traducere ſtudebunt, quibus homines & ſapientiores & meliores fiant, & exigent praeſertim ab hiſtoriae ſcriptoribus (quis enim ignorat illam & apellari, & eſſe vere magiſtram vitae?) ut in mores & naturam populorum inquirant, perſcrutentur eorum leges civilesque inſtitutiones, dogmata, praejudicataſque opiniones, & eum affectus, vitia, virtutes, ingenium, educationem, religionem, diſciplinam, divitias, fortunam hominum, locorum ſitum, & temporum conditionem explicaverint, detegant cauſſas, ut loquimur, phyſicas & morales omnium humanarum viciſſitudinum. Si omni tempore hiſtorici, oratores, poetae, ceterique hujuſmodi ſcriptores, quibus jus eſſe videtur hominibus, vel aeternam laudem tribuere vel ſempiternum dedecus infligere, philoſophiam conſuluiſſent, non doleremus, nunc quaedam ut glorioſa efferri, quae omni turpitudine foedata vi-

Digitized by Google

dentur, & heroum nomine appellari, qui multum in ſundendo ſanguine valuerunt. Eſſe igitur debet, ne longius digrediamur; quaedam norma & regula quam ſequantur & ſcriptores & Critici, & hanc a natura ſumemus tum in poeſi tum in ceteris hujuſmodi artibus, quae ab humanitate nomen habent, quibus & addere poſſumus picturam, ſculpturam & architecturam, adeo ut, quidquid vel nimia religione attenuatum, vel ornamentis onuſtum eſt, reſque, ut ſunt & eſſe debent, proprie & ordine & ratione quadam minime repreſentat, a perfectione plurimum abeſſe dicere debeamus. Veritas dominari debet in omni diſciplina ac praeſertim phyſica, ſic ut philoſophus demonſtret quod poteſt, credat quod ei demonſtratum eſt, rejiciat quod demonſtrationi repugnat, deque ceteris omnibus rebus ſapienter dubitet. Nam tum nimia credulitas, tum obſtinata incredulitas aeque adverſantur philoſophiae. Iam ſi quaeras quid praeſtare debeat & poſſit in morum ſcientia virtus, & illa praeſertim, quae homines Dei ſuorumque ſimilium amantes facit, meridiana in luce caecutire videberis. Has reſpicies regulas in exercenda arte critica, ſi tamen ea copia eruditionis & doctri-

nae, eoque ingenii acumine praeditus eris, quod ipſa ars requirit. Poteris etiam in ferendis judiciis, quae ad elegantiam pertinent, conſulere magna exemplaria, & Graeca praeſertim, non quod auctoritas plurimum valere debeat, ſed quod dubitari haud poteſt, Graecos ſcriptores & artifices, ſive hoc artis, ſive naturae, ſive quod probabilius eſt, utriuſque fuerit, ſive quod nullos habebant praeter naturam ipſam, quos imitarentur, ſuperiores omnibus fuiſſe in utroque genere pulchritudinis exprimendo, quorum in altero venuſtas eſt, in altero dignitas. Nec tam omni doctrina excultus, quam moratus eſſe debet criticus, & ita animo conſtitutus, ut ab odio, invidia, ac nimio ſtudio aeque alienus, tum amici errata libere notet, tum inimici merita libenter efferat. Cum modeſtia libertatem ſinceritatemque, cum humanitate ſeveritatem conjunget; & dum cujuſque rei quae ſit vis, quae auctoritas, quod pondus, examinat, tantum tribuet proprio judicio auctoritatique, quantum exigere veritas ipſa videatur, quae omnis effati noſtri fictrix & moderatrix apparere ſemper debet. In alienis quoque teſtimoniis adhibendis magna opus eſt prudentia, cum ratio, non aucto-

ritas, in primis ſit conſulenda. Et ſi fuit aliquando tempus, quo homines vel ſapientiores in alienis dictis conquirendis toti erant, fatale illud fuiſſe ad optimarum diſciplinarum interitum confiteri debemus. Sapiens criticus mea ſententia minime ſtilum acuet ad exagitandos malos libros, quorum pravitas vel mediocriter doctos offendit; & bellator ſtrenuus non aliena debilitate, ſed ſua ipſe virtute valebit. Videat etiam atque etiam, ut certa ratio & moderatio & elegantia quoque orationis emineat in ſuis dictis, cum facile ſuſpicentur homines moveri aut obtrectatione, aut aſſentatione, qui multis & impolitis verbis alios reprehendunt & laudant. Quamvis ea ſit ridiculi natura, ut acri fortius, *ſicuti eſt dictum* Horatii, & melius magnas plerumque ſecet res, *raro tamen illo utendum conſuluerim critico, quod ſaepe officiat veritati; & ad deprimendos magis, quam ad humaniter inſtruendos homines factum videatur. Haec & alia multa, quae perfecti critici ſpeciem exhibent, adeo propria erant Galianii, ut in iis hominis ſapientiſſimi imaginem poſſis intueri. Dolebat vero ille vehementer, vel invidia quadam, quae a glorioſa aemulatione plurimum*

abeſt, vel φιλαυτια *apud nos Italos morem ferme exoleviſſe ſcripta, quae edituri ſumus in lucem, cum prudentioribus communicandi, omnique ſtudio inveniendi Quintilios,* qui male tornata incudi reddere jubeant (1); *atque hinc fieri ut opprimamur librorum copia, quam ſe non aucturum ſancte affirmabat, quamvis ea eſſet doctrina, ut neque arroganter, neque ſuperbe potuiſſet ſcriptis ſuis immortalitatem polliceri. Utinam ne haec ab re ineptcque dicta a te putentur, qui cum veriſſimum pulchritudinis judicium habeas, illud Roſcii apud Ciceronem animis ſcriptorum nunquam non inculcandum monere ſoles, caput eſſe omnis artis videre quid deceat. Vale.*

Florentiae VI. Non. Octob. MDCCLXXXI.

(1) Vid. Horat. in fin. artis poeticae.

Caelestinus Galianius

HOminis doctrina & virtutibus, minime vero fumoſis majorum imaginibus nobilis vitam ſcribendam ſuſcipimus, quod cum ſatis diligenter praeſtiterit Appianus Bonafedius, qui inter Caeleſtinos facile nunc primas tenet, hunc ita ſequemur, ut e commentariolo illius judicio arbitrioque noſtro quantum, quoquo modo, videbitur, hauriamus. Natus eſt Caeleſtinus Galianius an. MDCLXXXI. V. Kal. Octobris in quodam Dauniae pago, ubi ejus parentes Dominicus Galianius & Cajetana Turturellia ruſticari ſolebant, cum eſſet Foggia percelebri Apulorum emporio oriundus. Illiberaliter ſane domi educatus nomen Caeleſtinae familiae Aletii dedit, ibique philoſophiae operam navavit. Sed philoſophiae auguſtum nomen haud mereri videntur illae Scholaſticorum ineptiae atque deliria, ad quae Caeleſtinus, quamvis invite, exercitatus fuit.

Tam perverſae inſtitutionis faſtidium ut leniret, nactus magiſtrum Graecarum litterarum, his ita ſtuduit, ut brevi Ariſtotelem legere, ejuſque praecepta cum de arte rhetorica, tum de philoſophia tenere potuerit. Sic etiam magiſtros ſuos poterat illudere, qui cum ſe Ariſtotelicos profiterentur, nunquam ad illius philoſophi ſenſus penetraverant. Poſt haec Romam conceſſit ad excolenda rerum divinarum ſtudia, in quibus eadem, quae in philoſophia, dominabatur barbaries. Cum conquireret undique Caeleſtinus indigniſſimae ſervitutis ſolatia, forte fortuna ad ejus manus pervenere Renati Carteſii opera, quibus nihil meo judicio magis idoneum ad vivida adoleſcentium ingenia philoſophiae & geometriae amore inflammanda. Ea quidem ſic legere coepit, quaſi diuturnam ſitim explere cuperet, ſed adoleſcens geometriae expers atque ignarus ſaepe in iis haerebat; quare nulli ſtudio pepercit, ut hujuſmodi adjumentum ſibi compararet. Vigilabat de nocte cum certo valetudinis detrimento, increpantibusque collegis ſolitus erat reſpondere, *ſatius eſſe doctum*

emori, *quam vitam curvi pecudis vivere*. Itaque improbo omnino labore eo pervenit, ut non ſolum noſcere Carteſii dogmata, ſed etiam eorum nonnulla latius explicare, & quaedam confutare potuerit. Cum vero ei eſſet perſuaſum philoſophiam doctiſſimorum contentionibus diſſenſionibusque vigere, percurioſe inveſtigabat quidquid adverſus Carteſium proferebatur in lucem. Incidit in Iſaaci Newtoni *Mathematica Principia*, & vidit illico ſi haec ſtarent, actum fore de Carteſiana philoſophia. Sed in his perſcrutandis ne fructus induſtriae ſuae perderet, conſuluit per litteras Grandium & Manfredios fratres, qua ratione pervenire ad illam cognitionem ſublimioris geometriae poſſet, quae tanto in honore eſſe coeperat apud Tranſalpinas & Tranſmarinas gentes, & quae ſerius, quam oportuerat, delata ad Italos, cauſſa erat, ut hi in maximarum rerum ignoratione verſarentur. Nil niſi iter, quod ii tenuerant, & ſua ipſorum exempla ab ſummis illis viris propoſita fuerunt, in quae cum intueretur Galianius, adeo proceſſit, ut ſibi cum Newtono, Leibnitio & Hoſpitalio familiariter

verſari videretur. Qui haec poteſt ſuis ingenii viribus, pene ad inventoris gloriam pervenire dixeris; & ſane nihil mirabilius Galianii ingenio, qui ad veritatem, & ad omnia abſtruſiora aſſequenda natus videbatur. Rationem etiam cum Lokio habere voluit, quod viſum eſt ei occultius agendum, neque divulgandum, ne a ſeverioribus redargueretur. Cum vero in difficilioribus locis dogmatibusque aut illuſtrandis aut confutandis ſaepe verſaretur, lumen ab eo ſe mutuari, & ei reddere viciſſim, poterat ſane gloriari. In quibus exercitationibus nihil ei tam deerat quam homo, quicum ſtudia ſua communicaret; & cum ſaepe ad Lambertinium Praeſulem ſalutatum diverteret, cum eo deplorare ſolebat ſtultitiam omnium fere religioſarum familiarum, quae, inventis frugibus, glande veſci volebant, perverſe adeo rationem ſtudiorum moderabantur. Tentandum igitur a ſe putavit, num in uſum ſuorum novas inſtitutiones gignere poſſet, quae ex iis anguſtiis, quibus miſere philoſophiae & theologiae ſtudioſi tenebantur, ipſos educeret; & cum nactus fuiſſet magni ingenii

adoleſcentem Caeleſtinum Rollium, hoc adjutore uſus eſt, poſtquam illum imbuiſſet omni mathematica diſciplina. Eo libentius hominis doctrina praeſtantis mentionem feci, quod eum aliquandiu habuerit Academia Piſana, & diutius habuiſſet, niſi Paſchaſius Jannettus, aliique pauci doctores effuſe petulantes, & veterum philoſophorum pabulo & glande corrupti, ipſum eadem cedere coegiſſent. Sed ad Galianium revertor, qui cum theologiae ſcholam moderandam ſuſcepiſſet, eamque plurium artium ſubſidio, & praeſertim antiquitatis & linguarum Graecae & Hebraicae cognitione ornaſſet, gaudebat eſſe quoſdam in ea adoleſcentes, qui refrenandi potius a gloria, quam incitandi eſſe videbantur. Hos e domeſticis latebris in publicam lucem eduxit, & ea protulit in medium, multis & audientibus, & ut moris eſt, diſputantibus, quae admirationem ſapientioribus (1), invidiam vero & ſtomachum imperitioribus moverunt. Hi triſtes & conturbati domum redeunt, factaque conſpiratione, de perdendo Galianio

(1) Vid. T. II. *del Giornale de' Letterati d' Italia*.

conſilium ineunt. Vide nunc caliginem temporum illorum; accuſatur de ſacrarum litterarum auctoritate labefactata, quod moralia quaedam & hiſtorica in iis contenta ad critices praecepta & antiquitatis monumenta perpenderit. Nulla jam pernicies a monſtris illis comparari Galianio potuit, qui tanta animi conſtantia tantaque doctrinae copia cauſſam ſuam egit, ut laudem non mediocrem ex adverſariorum calumnia reportaverit. Quapropter ejus nomen magna coepit Romae eſſe in gloria, & quotquot ea in urbe florebant praeſtantia doctrinae, maximeque Lanciſium, Fontaninium, Capaſſium, Blanchinium, Gravinam, Mirum poterat in ſuis numerare. Tum ad Catholicae Eccleſiae clavum ſedebat Clemens XI., qui cupiditate incenſus noſcendi Galianium, ad ſe ſe illum accivit, bonoque animo eſſe juſſit. Sibi enim optatiſſimum eſſe Monachorum Coenobia quam florentiſſimas ſcholas habere, a quibus minutae & anguſtae concertationes perpetuo exularent. Itaque illi ſe gratulari, quod implacabile bellum adverſus Scholaſticos ſuſcepiſſet. Idem veritus ne homo, cujus inge-

nium & doctrinam ſuſpiciebat, cujuſque conſiliis uti meditabatur, Romam deſereret (nam eodem tempore magnis praemiis invitabatur a Victorio Amoedeo & a Veneto Senatu ad tradendas mathematicas diſciplinas in Taurinenſi & in Patavina Academia) ei negotium dedit explicandae hiſtoriae Eccleſiaſticae in Archigymnaſio Romano, quod ita praeſtitit Galianius, ut nunquam Pontificem judicii ſui poenituerit. Volens vero ejuſdem prudentiam in re mathematica Clemens experiri, mandavit illi de ſortitionum ludo, qui ab ejus inventore Genuenſis etiam dicitur, ea ſcripto exponere, ex quibus intelligi poſſet, num aequum eſſet illum permittere aut vetare. Etſi multa effluxerint *ex arte conjectandi Beronullii*, rem tamen adeo ſubtiliter adeoque minute tractavit Galianius, ut multum illi libro addidiſſe judicatus fuerit. Nec veritati ſolum & Pontifici ille ſatis quidem fecit, ſed etiam luſoribus, qui majorum praemiorum ſpe ad periculum faciendum fuerunt invitati. Non multo poſt de Reni & Padi aquis, quarum cauſſa diu & vehementer diſputatum eſt,

Galianio cognoſcendum fuit. Hujuſmodi controverſiae Caſſinii, Gulielminii, Euſtachii Manfredii, Zendrinii, Grandii, aliorumque mathematicorum ſcriptis inclaruere maxime, de quibus quod judicare poſſe exiſtimabatur Galianius, non mediocre eſt argumentum quanto in pretio eſſet illius doctrina. Adfuit ergo conſiliarius primum Dominico Rivierae, mox Rinuccinio, Praeſulibus ſane ampliſſimis, quibus rem illam magnam & difficilem Pontifex commiſerat. Nihil tum actum ob eorum potentiam, quorum intererat Renum minime a Pado avocari, ut in ſuum priſtinum alveum reſtitueretur. Secutum eſt aliud mandatum de Clanis aquis, cum vetus diſcordia, de qua in Caſſinii & Vivianii vita diximus, inter Etruſcos & Romanos recruduiſſet. Huic dirimendae Florentiam ſemel iterumque mittitur Galianius; ſed nihil a Florentinis obtentum. Verum quae ſcriptis & oratione tolli non potuit controverſia, tandem neceſſitati ceſſit. Opera quidem Galianii probata & grata fuit, & pro ea data illi praemia ſatis ampla, quam ob cauſſam Romae ſic honorabatur,

princeps ut haberetur. Honorifice quoque de eo ſtatuerunt collegae ejus, quod & Abbatem crearunt; neque multo poſt univerſae familiae procurationem ei commiſerunt. Tum quidem cognitum quanta eſſet dexteritate in negotiis tractandis, ut idem & doctiſſimus & prudentiſſimus haberetur. Quapropter ſaepe adhibebatur a Cardinalibus in conſiliis ſcribendis, ejuſque opera magni fuit praeſertim Alvaro Cardinali Cinfuegoſio, cum jura Regum Siculorum eſſent defendenda. Difficile vero videbatur in Summum Pontificem, qui laceſſiverat, aliquid non infligere; ſed Galianius ita aequitati ſervivit, ut neminem laeſerit. Ad longum tempus quaeſtio duravit, quae quo majore conatu agitata, eo majores ſuſcipiendi Galianio labores fuerunt ad contraria diluenda, ſuaque confirmanda. Praefuit tandem huic ipſi quaeſtioni Proſper Lambertinius, factumque & judicis ſapientia, & aequitate Pontificis & Caroli VI. Caeſaris, ſub cujus imperium ditionemque Siculi ceciderant, ut cauſſa componeretur. Inter haec Galianius ad totius familiae Caeleſtinorum guberna-

culum accedere debuit, a quo triennio poſt receſſit, cum Archiepiſcopatu Tarentino fuiſſet ornatus. Aegre tantum onus recepit, Tarentumque appellenti litterae ab Harrachio utriuſque Siciliae Regni Prorege redduntur, quibus jubebatur Neapolim concedere, & Regii Sacelli & Neapolitanae Academiae praefecturam ſuſcipere. Haeſit aliquandiu; mox parendum Caroli Caeſaris voluntati & imperio cenſuit. Itaque Tarentino cum Theſſalonicenſi Archiepiſcopatu commutato, Neapoli conſedit. Quid ipſe geſſerit, ut Academiae priſtina redderetur dignitas, ut litterae a squalore & ſordibus, in quibus jamdiu jacuerant, ad gloriam ſplendoremque revocarentur, utque ingenia natura vivida a turpi deſidia praemiorum ſpe ad laborem atque induſtriam excitarentur, ex eo conjici poteſt, quod nihil erat carius Galianio ſuis Neapolitanis, nihil jucundius quam prodeſſe plurimis, nil demum magis cordi quam litterarum fortunam provehere. De augendis Academiae redditibus, ejuſque aedibus amplificandis, de bibliotheca inſtituenda, ceteriſque ſcientiarum inſtrumentis comparan-

dis cogitavit, neque ſine proſpero ſucceſſu, cum ejus auctoritas magnum apud Harrachium, hujuſmodi in rebus praeſertim, pondus haberet. Res tamen litteraria tum non tam floruit, quam ſub imperio Caroli Borbonii, cujus curae & ſtudia tamdiu laudabuntur, dum memoria rerum Neapolitanarum manebit. Prima ſpes affulſit ſtatim ac ille Neapolim adventavit, quanquam multi extitiſſent qui praedixerant Galianio de litteris deſperandum, eique, ut & ceteris omnibus, qui Auſtriacarum partium fuerant, de ſtatu ſuae dignitatis recedendum. Hominem ſingulari animi firmitate ac moderatione ſollicitum quidem habebat cogitatio officii, minime vero periculi ſui, ac malum minitantibus reſpondere ſolebat: *ſplendidis hiſce dignitatibus ſpoliati nullum felicitatis detrimentum facturi ſumus; modo cella apud veteres ſodales, librique ſint reliqui, in vado res eſt*. Ad Regem accedere juſſus Galianius intellexit ſtatim proſpera litteris ominanda, quas provehere ad dignitatem fidemque ſuam, & ad ſalutem Regni pertinere Carolus exiſtimabat; neque minus de ſe optime ſperan-

dum, quod voces ejuſdem habuerint declarationem benevolentiae atque exiſtimationis. Et ſane quid honorificentius de Galianio fieri potuit quam Romam mitti ad impetrandam a Summo Pontifice Regni *inveſtituram* (ſic enim appellant) quod mandatum difficillimum habebatur & erat, minas jactantibus & formidines opponentibus Auſtriacis, ſi Pontifex Caroli poſtulata feciſſet? Explevit Regis expectationem Galianius, qui cum vidiſſet idcirco rem trahi, ut quam diutiſſime integra eſſet, tanta eloquentia Regis ipſius cauſſam apud Pontificem egit, ut ab hoc impetraverit, ne quod callidius iniretur conſilium. Re igitur confecta, cum Neapolim rediiſſet, vel eos laudatores habuit, qui ejusdem antea inviderant honori, & Rex ipſe non ſolum verbis, ſed etiam re declaravit, nihil eſſe quod ejus induſtriae committi non poſſet. Itaque cum diſceptaretur iterum cum Romano Pontifice de Sacerdotiorum nominatione, aliiſque magni momenti rebus, quae ad Regium jus, jurisdictionem poteſtatemque pertinebant, rurſus Galianius Romam legatur, de his ipſis

rebus cum Pontificiis acturus. Eo rem brevi deduxit, ut piam & aeternam pacem fore ſperaret; ſed de conventionibus Regi Togatos conſuli cum placuiſſet, novis hi expoſtulationibus & querelis occaſionem dederunt. Id cum factum multi indignarentur, & Pontifici Clementi eſſet perſuaſum injuſta peti, nihil ſe conceſſurum declaravit. Non multo poſt ejus accidit mors; quare Galianius ad Benedictum XIV. mittitur cum ampliſſima poteſtate rem tranſigendi, non ſolum quod Rex noverat acerrimam viri prudentiam, ſed etiam quia minime ignorabat gratiorem poſſe mitti neminem; quod ad conficienda negotia plurimum ſane intereſt. Juſte ſapienterque Galianium diſceptaſſe judicatum eſt, quoniam capita quaedam rerum agendarum & concordia ſine querela conſtituta fuerunt; quod honorificentiſſimum illi quidem fuit. Rumor erat tum Pontificem, qui nullo non tempore ſingularis benevolentiae Galianio teſtimonia dederat captum non tam hominis ſapientia, quam humanitate & urbanitate omnino ſingulari, de illo in Cardinalium Collegium cooptando cogitare. Quid

vero cauſsae fuerit ne in ſententia Pontifex maneret, qui certe meritis capiebatur, quanquam non ſemper liberalis fuerit in iis remunerandis, ignoro. Plerique obſtitiſſe affirmant Galianii ipſius modeſtiam, qui tamen cum Neapolim reverſus fuiſſet, Equitum S. Caroli Magnus Cancellarius, & Judicum Collegii, quod *Mixtum* dicitur, Praefectus cum ſtipendiis ampliſſimis declaratus eſt. Multis propterea diſtinebatur occupationibus, quae eum avocabant a litteris; ſed cum intelligeret ſe plurimum prodeſſe reipublicae, haud iniquo ferebat animo vitae ſtatum commutatum eſſe ſuae. Sed major etiam commutatio facta eſt, cum illum inter arma verſari Rex ipſe juſſiſſet. Secum enim eo tempore Galianium habere voluit, quo pugnatum eſt Borbonios inter & Auſtriacos ad Velitras, cui bellò ipſe non ſolum interfuit, ſed etiam praefuit, quod ſi quid durius domi foriſve accidiſſet, tutiorem multo inter armatos atque apud ſuum exercitum fore ſibi locum videbat. Qui fuerint illius belli caſus & exitus elegantiſſime a Bonamicio ſunt expoſiti, & quamvis in illius commentario

tario minime Galianii nomen appareat, ſcimus tamen neque periculis ipſum caruiſſe, & ſpoliatum ſupellectile, & fuga ſalutem quaeſiiſſe, ut jocans dicere ſoleret, quamvis Socratis & Xenophontis ante oculos exempla habuerit, non multa tamen ſe virtutis indicia dediſſe. Regem etiam ſecutus eſt, quando, fugatis hoſtibus, Romam Summum Pontificem Benedictum XIV. ſalutatum venit, eique luſtranti celeberrima Urbis loca myſtagogus adfuit. Reliquum vitae tempus ita tranſegit Galianius, ut tranquillitati magis & religioni, quam litteris & Aulae ſervierit, quanquam & fama & honoribus & divitiis ſemper crevit. Poſtremo cum capitis dolore diu tentatus fuiſſet, ſubita morte occubuit, quod accidit VII. Kal. Quint. an. MDCCLIII. aetatis ſuae LXXII. Heredes ex aſſe ſcripſit fratris filios duos, Bernardum & Ferdinandum, quos ſic educaverat, ut ingenio, quod a natura nacti fuerant, & ſuae & hominum expectationi reſponderent. Nomen quidem ii, ſcriptis editis, haud mediocre ſibi compararunt. Inclaruit alter maxime Italica interpretatione Vitruvii; al-

ter libro *de Pecunia*, quanquam & multis aliis ſcriptis, & libertate ſcribendi dicendique, & ſale quodam & lepore nominari voluit. Num hi operum conficiendorum a patruo adjumenta habuerint ignoro. Is quidem nemini operam ſuam denegabat, quod nihil melius bonitate & beneficentia eſſe arbitrabatur. Miraberis vero hominem ſummo ingenio ac memoria, acerrimo ſtudio, optima doctrina & maximo uſu, qui ſapientiſſimis conſiliis & monitis effecit, ut multi praeclara opera ex ſe ſe parerent, ipſum nihil hujuſmodi typis commiſiſſe, nihilque quod ederetur reliquiſſe. Porro publicam lucem ipſe formidare videbatur, & cum neque invidia tentaretur, neque gloriae cupiditate titillaretur, eſſe quam videri doctus vir malebat. Animi vero quodam judicio ſe a prodeundo in publicum abhorrere dicebat, quod nimia librorum copia opprimamur; querentibuſque hac de re amicis opponere ſolebat Socratis exemplum, qui quamvis totius Graeciae judicio cum prudentia & acumine & venuſtate & ſubtilitate, tum vero eloquentia, varietate, copia, quam ſe cumque in partem dediſſet,

omnium eſſet facile princeps, litteram tamen nullam reliquit. Sed Socrates Platonem invenit, qui ejus ingenium varioſque ſermones immortalitati ſcriptis ſuis traderet: Galianius ſaeculo corrupto, quo virtuti aut tacite invidetur, aut palam obtrectatur, vix laudatorem, neque hunc admodum elegantem, habuit, ut propterea vereamur, ne ejus memoria quodammodo ſeneſcat atque extinguatur. Ceterum tanta pollebat doctrina Galianius, ut vir graviſſimus Euſtachius Manfredius dicere de eo conſueviſſet, mathematicas diſciplinas minimum eſſe, quod ipſe calleret; neminem ſe vero noviſſe, qui illi non dicam ſuperiorem, ſed parem in iis diſciplinis poneret. Nos quoque ſaepe a Jo. Bottario audivimus, qui conjunctiſſime cum Galianio vixerat, neminem ſe vidiſſe, in quo mirabiliter adeo exiſteret cordis atque linguae illa rara concordia, quo innuere volebat illum non intelligendi ſolum, ſed etiam dicendi fuiſſe inſignem magiſtrum. Quod teſtimonium magni faciendum puto, quod a viro ſapientiſſimo prolatum, quodque ab aſſentationis ſuſpicione alienum ſit, quippe de mortuo.

ANGELUS FABRONIUS

HIERONYMO TIRABOSCHIO

S. P. D.

E*Tſi ea eſt hominum inconſtantia, ut ſuae quemque fortunae maxime poeniteat, & nemo fere ſit quin ubivis, quam ibi ubi eſt, eſſe malit, attamen mihi dubium non eſt, quin te beatiſſimum fortunatiſſimumque arbitreris, quod apud Mutinenſes verſeris, eique praeſis bibliothecae, quae nemini fortaſſe librorum copia atque praeſtantia concedit. Nam niſi tam lautam ſupellectilem nactus fuiſſes, plane ſatisfacere laudum tuarum immortalitati haud potuiſſes in perficienda Litteraria univerſae Italiae hiſtoria, quod opus tanti merito putatur, ut majus quiddam hominis unius ingenio, atque induſtria praedicetur. Neque hae laudes minuuntur, quod de illo iterum edendo & aliqua in parte emendando cogites; nam ut eſt Varronis dictum,* nemo reprehenſus unquam fuit, qui ſtipulam reliquiſſet ad ſpicilegium, *praeſertim cum tam la-*

tus ſit campus, ut immenſitatem illius vix cogitatione comprehendere, nedum metiri poſſimus. Ac fuit tempus illud, quo de litteraria hiſtoria aliquis bene mereri judicabatur, ſi expilaſſet libros, qui Scenae, Theatra, Athenaei litteratorum *aliiſque hujuſmodi nominibus appellabantur, in quibus perpauca inveniuntur, quae certas veritatis notas habeant. Tantum enim tribuebatur auctoritati, ut ſufficeret aliquid ab aliquo affirmatum eſſe ac litteris mandatum ad obtinendum eruditiorum aſſenſum. Omnium fortaſſe primus huic malo apud nos mederi ſategit Apoſtolus Zenus, qui & voce & exemplo novam quamdam induxit rationem litterariae hiſtoriae conſcribendae. Ut in* Voſſianis diſſertationibus, *& in* Obſervationibus ad Fontaninii eloquentiam *illius ſimplicitas, illius veritas, illius candor agnoſcitur! Qua ſagacitate ab illo immortalitate digno ingenio res vel abditiſſimae inveniuntur, quo ordine exponuntur, quo acumine monumenta rerum geſtarum perpenduntur, qua arte res cum rebus, ſcriptores cum ſcriptoribus conferuntur; & ſi quid conjectura judicandum eſt, quam caute & prudenter conjectoris perſonam ipſe gerit! His adhibitis artibus, non modo ei ignoſcimus, ſi*

quem in errorem incidit, ſed magnam quodammodo ei gratiam habemus, quod in corrigendo errore novum aliquid antea ignoratum detegit; & cum facilitatem & veritatis ſtudium agnoſcimus, tum admiramur ſcientiam & eruditionem omnino ſingularem. Tantum exemplar te tibi propoſuiſſe ad imitandum non uno in loco ſcriptorum tuorum, vir eruditiſſime, fateris, & quod te illi aequaveris diligentia, & ſuperior etiam fueris copia rerum, quas narrandas expendendaſque ſuſcepiſti, non modo tibi, ſed univerſae etiam Italiae ex animo gratulor. Porro pauci ante te ſcriptorem noverant ſatis Italorum ingeniorum vim, elegantiam, ubertatem; pauci quid ceterae nationes Italis deberent commonſtrantibus olim doctrinarum fontes, atque ad aemulandos ſe ſe Europam reliquam provocantes, pauci, inquam, videbant. Multos nacti eramus laudum noſtrarum bellicarum, eoſque graviſſimos Hiſtoricos; ſed hi (pace eorum dixerim) eam ſibi ſcribendi partem ſepoſuerant, quae Italiam apud cordatos viros etiam in invidiam poſſet vocare, cum nullos imperio ſuo fines conſtituerit, niſi quos terris ac maribus natura rerum poſuiſſet, eumque in prolatando imperio illam ipſam glo-

riam rapinis, caedibus, vaſtitate, injuria foedaret. At vero partem alteram gloriae noſtrae, quam unus atque unicus complecti univerſam & tam accurate explicare tute potuiſti, cum legimus, aut audimus, quo ſtudio in eam gentem incendimur, cujus haec propria laus ac perpetua fuit, ut in omnibus diſciplinis quae a Graecis acceperat, redderet meliora, multa inveniret augeretque ipſa per ſe ſe, quae ceteris nationibus tradita, vix reddi poſſent meliora! Reſtat nunc ut perficias, quod inſtituiſti de Mutinenſi bibliotheca *opus, quod dignum erit Principe, cujus gloriae ſervis, dignum civitate, in qua degis, quae quidem, ſi qua ulla alia Italica, omni tempore edidit viros ingenio & doctrina praeſtantiſſimos. Cum vero tota mente Zenum atque omni animo intuearis, non injucundum tibi erit, quod nomen inſcripſerim tuum in commentariolo de illius vita, quod ad te mitto tum amicitiae, tum utilitatis cauſſa, quod te correctorem atque emendatorem mearum ineptiarum fore confidam. Vale.*

Piſis Kal. Feb. MDCCLXXXII.

Apostolus Zenus.

Apoſtolus Zenus Venetus, cum unus inter omnes excelleret cognitione antiquitatis, & illius praeſertim, quam medii aevi & hiſtoriae litterariae nomine appellamus; cumque non modo ad hanc illuſtrandam, ſed etiam primus Italorum ad melodramata ſcribenda mirum acumen, prudentiam, perſpicuitatem & elegantiam Etruſci ſermonis contuliſſet; iiſque eſſet moribus, ut praeberet omnibus illuſtre humanitatis & innocentiae exemplum, eam obtinuit gloriam, quam pauci poſtea ſunt conſecuti. Nec deerat illi etiam antiquitas generis. Erat enim Patriciorum ejuſdem nominis gentilis, quamvis Venetae nobilitatis jure minime frueretur. Se tamen nobilem Cretenſem appellabat, quod ejus familia V. fere ante ſaecula deducta in illud regnum cum Venetorum colonia manſerat ibi in honore ac dignitate, quoad ipſum in Turcarum poteſta-

tem venit. Natus eſt III. Id. Decembres an. MDCLXVIII. Petro Zeno, qui ſatis laudabiliter Venetiis medicinam faciebat, & Catharina Apoſtoli Sevaſti, cujus gens patrum memoria potuerat multum in Cretenſi inſula nobilitate & opibus. Pater mature deceſſit filios relinquens duos Apoſtolum & Nicolaum adhuc in teneris, qui matris diligentiae concrediti ſatis feliciter aetate & moribus procedebant. Haec, quamvis non multo poſt nupſerit nobiliſſimo viro Antonio Cornelio, non tamen Apoſtoli curam dimiſit, dum Nicolaum apud ſe haberet aleretque illius patruus Epiſcopus Juſtinopolitanus. Sed hoc e vivis erepto poſt. id. Aug. ann. MDCLXXX. Nicolaus Venetias venit, ut cum fratre operam ſtudiis daret in Seminario, quod ab loco appellatur *Caſtelli*, quodque regunt religioſi viri Somaſchi. Ibi in rhetorica praeceptorem habuerunt Auguſtinum Rizzotum Venetum: philoſophicum vero ſtadium cucurrerunt, praeeunte Claudio Ugone Brixiano. Sic igitur fratres ingenium excolebant paribus quidem ſtudiis, licet diſpari fructu: Apoſtolus enim Nicolao

multum ingenio antiſtabat. Sed de hoc ſatis. Plurima enim alii de eo nobis ſcripta reliquerunt. Apoſtolus barbariem, quae tunc dominabatur in ſcholis, feliciter declinavit; manſuetiorumque muſarum valde ſtudioſus jam ab ann. MDCLXXXIV. carmina elucubraverat, quae *Venetum incendium* inſcripſit. Haec typis commiſſa Marco Antonio Juſtiniano, qui Venetiis tunc temporis ſummum tenebat imperium, nuncupavit, ejuſque vocibus ad alia hujuſmodi tentanda incitatus fuit. Quare non multo poſt deditionem Modoni, & Navarini occupationem cecinit eo ſucceſſu, qui proſperus iis temporibus judicari debuit. Poſt haec Perſii ſatyras Italicis carminibus interpretatus eſt; cujus interpretationis autographon exſtare ſcio Venetiis apud religioſum quemdam hominem Servorum, ut vocant, B. M. V. Praeter id non pauca alia, ut ſtylum exerceret, e Latino in Italicum convertit. Lyrica quoque plurima ſic condidit, ut unus ad poeſin inſtructiſſimus videretur. Sed haec omnia grandior factus improbavit cremavitque, ſi unum excipias, cujus initium, *Donna ſe avvien ec.*,

quodque a Muratorio ſuum in opus de Perfecta Italica Poeſi relatum fuit. Praecepta ſcribendi, quae puerilis doctrina tradidit, ſubtilior cognitio ac ratio litterarum aluit, confirmavitque continua lectio veterum oratorum ac poetarum. Qua facultate praeditus Apoſtolus, cum quo ſe verteret aliquandiu dubitaſſet, otii impatiens, & ceterarum rerum, quae adoleſcentiam oblectare ſolent, incurioſus, aut contemptor, ſtatuit illi praeſertim generi eruditionis, quae hiſtoriam juvaret, nec non poeſi totum ſe dedere. Ex omnibus autem poeſis generibus dramaticum ſibi maxime excolendum ſumpſit, quod hujus vacuam poſſeſſionem facile tenere ſe poſſe ſperabat. Quamvis enim tum multi eſſent melodramatum ſcriptores, adeo eos ſaeculi vitia & corruptela depravaverant, ut nulli eſſe viderentur. Et quanquam haud pateretur natura poeſis veterem illam excellentemque prudentiam Graecorum ad noſtrorum theatrorum uſum moremque transferri, ſic tamen confici poſſe dramata intelligebat Zenus argumentorum, ſententiarum & verborum delectu, ut ſi non omni ex parte per-

Digitized by Google

ſecta, tolerabilia tamen eſſent futura. Cum primum ad ſcribendum animum appulit, paſtoritia argumenta tractavit, & in ſcenam adduxit. Haud mediocriter plauſum fuit Thyrſidi, incredibiliter vero Narciſo, quanquam in eo per XV. dies tantum elaboraverit. Poſt id experiri voluit Zenus, quid poſſet ingenium ſuum in gravioribus tractandis argumentis. Scripſit varia, quae ubi ſpectata, placuere. Sed nunquam majori uſus eſt fortuna, quam cum anno MDCC. Venetiis L. Verum dedit. Iſtud enim melodrama non ſolum ſemper habuit plauſores, ut Horatianis verbis utar, aulaea manentes, ſed & pluries repetitum non Venetiis tantum, ſed & Florentiae, alibique; fuitque, ut ita dicam, buccinator eximii ingenii & judicii, quo pollebat Zenus in hoc poeſis genere. Quapropter minime eſt mirandum ſi ejus opera requireretur a multis; & quamvis nunquam avare pretium ſtatuerit arti ſuae, & eum eſſe quaeſtum in animum induxerit maximum quam maxime ſervire & ſuae & Italiae gloriae, nihilo tamen minus emolumenta & praemia conſecutus eſt ſin-

gularia. Mutinam ineunte ann. MDCC. venit vocatus ab illius Duce Rainaldo I., qui dramate aliiſque apparatiſſimis ſpectaculis diem condecorare volebat, quo Franciſcus Parmae Dux nomine Leopoldi Caeſaris e ſacro baptiſmatis lavacro filium ſuum natu majorem ſuſcipere debebat. Antequam dramati manum admoveret Zenus, de ejus argumento & oeconomia Dux voluit doceri. Qua de re cum locutus fuiſſet cum eo, qui primum locum in Aula tenebat, qui ſe poetam profitebatur, non dubitavit hic inſolentiſſime jactare ſe ſe poſſe meliora conficere, ſeque magna jam ex parte confeciſſe. Hujus rei veriſſimum & ſapientiſſimum judicem Dux fore putavit Joſephum Urſium; quare ſecreto Bononiam certum hominem miſit, qui expoſitis dramatum argumentis eorumque formis, celatiſque Auctorum nominibus, ipſius ſententiam exquireret. Non haeſitans reſpondit Urſius altera eſſe cogitata hominis prudentiſſimi (erantque Zeni) altera ignari ac plane rudis in hujuſmodi poeſis genere; quod judicium magno cumulo auxit opinionem, quam Dux de Zeno conceperat.

Ex quo factum eſt, ut eum apud ſe retinere ſtuduerit; quo beneficio uti noluit Zenus Aulae inimicus, Venetiarumque ſuarum amantiſſimus, quibus graviora ſtudia ſua deſtinaſſe videbatur. Venetam Eccleſiaſticam hiſtoriam texere cogitabat; collegeratque ad eam rem monumenta quamplurima temporum, hominum, locorum, geſtarumque rerum. Cupiebat exponere vitas doctiſſimorum quorumdam Venetorum, qui non de litteris ſolum, ſed etiam de patria optime meriti eſſent; certiſſimiſque monumentis memoriam illorum conſecrare, qui de rebus Venetis ſcripſerunt. Cumque ſe non popularem unius urbis civem, ſed totius Italiae agnoſceret, ad hujus gloriam laudemque celebrandam, atque hiſtoriam magis magiſque illuſtrandam conferre propoſuerat ſibi quantum litteris, quantum ſtudiis, ſuis unicis delectationibus, quantum amicorum ſubſidio conſequi potuiſſet. Ea voluntate aggreſſus aliquando opus fuerat, quod inſcribere meditabatur, *Rerum Italicarum Scriptores hactenus deſiderati*, eratque dignum ejus facultate & copia, cum ſibi ſumpſiſſet, ut obſervationibus & notis unius-

cujuſque hiſtorici ſcripta adornaret, ejuſque vitam declararet (1). Sed acriore etiam ſtudio & labore atque induſtria ſuperiore urgebat opus, quod ann. MDCXCVII. agreſſus fuerat de Italis Poetis. Hoc Zeno erat in animo exponere vitas omnium alicujus nominis Poetarum a ſaeculo XII. hoc eſt ab ultima Italicae poeſis origine ad ſuam uſque aetatem, ipſorum opera enumerare, deque his non ſua modo, ſed & doctorum virorum judicia referre. Nec quae eodem ſuper argumento vulgaverat Creſcimbenius, minuebant, ſed potius augebant Zeni induſtriam. Illud enim non ſatis accurate, ac nimis breviter ſtrictimque tractaſſe Creſcimbenius merito judicabatur (2). Conjiciebat Zenus bis mille circiter Poetarum vitas libris, quos adornabat, contentum iri; nec vitas ſolum, ſed etiam imagines, quae reperiri potuiſſent. Operi vero anteire debebant Diſſertationes duae de poeſis ac linguae Italicae ortu, progreſſu, ac viciſſitudinibus, quarum lineamenta ex iis, quae infra exſcribemus, perſpici poterunt (3). Manus extrema ab an. MDCC., ut ex Zeni ad

Magliabechium epiſtola intelligi poteſt (4), acceſſerat priori volumini, quod poetarum hiſtoriam ad finem uſque ſaeculi XIV. complectebatur. Nec dubitarit quiſquam fuiſſe hanc difficiliorem totius operis partem, ut pote quae res a memoria noſtra longiſſime remotas, & reconditiora monumenta continebat. Reliqua etiam inchoata; ſequentibusque temporibus univerſum opus eo perductum, ut magna jam ex parte perfectum eſſet. Nihilo tamen minus extremo fere in curſu conſtitit Zenus, & ea, quae ante diximus, hominum luce privavit; qua de re cum ſe purgaret, ſolebat culpam in neceſſitatem magnitudinemque operis, & impenſarum ad illud typis imprimendum transferre. Neque meliores exitus habuerunt ſcripta illa, quibus Eccleſiaſticam patriae hiſtoriam illuſtrare ſibi propoſuerat; & de quibus Marci Foſcareni graviſſimum judicium ac teſtimonium referre juvabit. Ait enim (5) Zenum, opem ei ferente Sacerdote optimo Joanne Baptiſta Leonarduzio, ex ſepulcrorum inſcriptionibus, tum publicis tum privatis tabulariis, nec non hiſtoriis & anna-

libus

libus adeo multa collegiſſe, ut ex iis non modo Epiſcoporum Patriarcharumque, ſed etiam Primiceriorum & Parochorum a ſaeculo XII. ad hanc aetatem ſucceſſiones, a quibus orti, quos honores, quibuſque temporibus cepiſſent, poſſimus cognoſcere. At ſi quis dolens orbitatem horum, aliorumque Zeni operum eam ob cauſſam, quod faſtigium iis minime fuerit impoſitum, arguere voluerit Zenum ipſum, non aliqua in re una ſeparatim elaboraſſe, ſed in plura ſemper eum diſtractum fuiſſe, non magnopere repugnabo. Quod non inconſtantiae, ſed facilitati potius ſummae, qua ad aliorum magis, quam ad ſuum ſtudia colebat arbitrium, tribuendum eſt. Nemo fere erat ex Italorum numero, qui in eam curam incubuiſſet, ut quae vel ab antiquis, vel a recentioribus ſapienter excogitata eleganterque conſcripta ſunt, ea in manus hominum accuratiſſime caſtigata atque exornata pervenirent, quin ad Zenum confugerit, ſeque ab eo plurimum & conſilio & opera adjutum minime confeſſus fuerit. Non defuerunt etiam homines auctoritate ſumma, qui exegerint ab eo,

ut minus grata perſcriberet. Talia fuerunt ea, quae hiſtoriam narrant Regum Magnae Britanniae, Scotiae, Sveciae, & Daniae, Ducum Olſatiae, & Comitum Geldriae, quae omnia quatuor voluminibus comprehenſa ad X. uſque volumen opus inſcriptum *il Mappamondo Iſtorico* perducunt. Etenim illius auctor Antonius Foreſtus e Societate Jeſu non ultra VI. volumen proceſſerat; & quam feliciter proceſſerit, ii facile intelligent, qui hiſtoriam cum hiſtoria, & ſcriptorem cum ſcriptore comparaverint. Sperabat Zenus poſſe ſe etiam meliora perficere, quando ad Batavam hiſtoriam perveniſſet, pro qua multum elaboraverat, cuique XI. operis volumen aſſignaverat. Qua de cauſſa vero inſtituta minime abſolverit ignoro. Nam quod extat XI. volumen duas in partes diſtributum non Batavas, ſed Turcicas res continet, neque hoc Zenum, ſed Dominicum Suareſium habet auctorem. Reliqua vero duo, quibus clauditur opus, volumina ad Sinenſe, magnique Mogoli imperium pertinent, conſcriptaque a Silvio Grandio Ariminenſi fuerunt. Omnino vim hoc erat aſ-

ferre Zeno aliquid ab eo petere, quod praeſtare ſe poſſe confideret, iis praeſertim in rebus, quae ad litteras pertinerent. Cum ſaepe a typographis conſuleretur de doctorum virorum ſcriptis, quae edi & ornari magis conduceret, nunquam ab ſe conſultores ſuos vacuos dimiſit, utque eorum & reipublicae utilitati ſerviret, non recuſavit aliquando injucundum interpretis munus ſuſtinere, e Gallico in Italicum ſermonem convertens elementa hiſtoriae Vallemontii, nec non opuſcula quaedam Gronovii antiquitatis monumenta illuſtrantia (6). Poſt id rogatus ordine diſponere libros bibliothecae Grimaniae, quae eſt ad S. Mariae Formoſae, ut & privata quaedam tabularia, diligentiſſime haec praeſtitit; & ſi quid latuiſſet in hujuſmodi aliiſque theſauris, quod publica luce dignum exiſtimaſſet, ſeponebat notabatque ea mente, ut ſcriptum ipſum, aut ſaltem de eo obſervationes ſuas in vulgus ederet (7), non ſecus ac Lambecius praeſtiterat de iis codicibus, qui in bibliotheca Caeſarea aſſervantur. Sunt vero innumerabilia, quae amicorum poſtulationibus concedere ſolebat. Ne-

minem enim invenies, qui Zeno, ut ex ejus editis epiſtolis cognoſci poteſt, ad amicitiam fuerit aptior; & amicos parare, & omnium officiorum genere colere, optimam & pulcherrimam vitae, ut ita dicam, ſupellectilem exiſtimabat. Ut quiſque maxime & virtute & ſapientia eſt munitus, ut paucis egeat, ita in amicitiis expetendis colendiſque maxime excellit. Igitur cum ita ſe geſſerit Zenus & doctrina & natura, ut aliis magis quam ſibi vixerit, non magnopere reprehendendus eſt, ſi interrupta multa non contexuerit, nec abſolverit inſtituta. Ille vero omnia, quae gerebat, ſpargere ſe ac diſſeminare arbitrabatur ad excitandos Italos ſuos ad laborem & laudem, excolendamque rectam ſtudiorum rationem. Et certe numerandus eſt in principibus, qui barbariem, quae foede dominata eſt ſuperiori ſaeculo, fugarunt; cui rei non mediocriter quoque contulit inſtituta ab ipſo cum paucis aliis cordatis viris Animoſorum Academia, quae in aedes Joannis Caroli Grimanii cogebatur, antequam colonia Arcadica facta eſt. Inter cetera queri ſolebat Zenus

poeſin & eloquentiam omnem illam ſalubritatem Etruſcae dictionis, quaſi ſanitatem, perdidiſſe, ac pene loqui dedidiciſſe; neque eſt credibile quantum voce, exemplo & auctoritate eniſus ſit, ut tantum malum ſanaretur. Ne quid vero ſubſidii deeſſet bene animatis, in epitomen redegit Dictionarium, quod ab Academicis, ut vocant, *della Cruſca* confectum fuerat, vulgatumque anno MDCXCI. Hanc epitomen prudentia ſane ſumma confectam duobus voluminibus comprehendit Zenus, eamdemque & ſuo & Academici Florentini nomine (in Academiam enim ann. MDCC. cooptatus fuit) ornare in animo habebat. Sed cum obſtitiſſent collegae illius, quod cautum legibus dicerent, ne quis Academici nomen iis operibus praeponeret, quae Academiae judicium antea minime ſubiiſſent, Zenus ſententiam mutavit, ſeque Academici Animoſi nomine tantummodo deſignavit. Nec minus de Etruſcae linguae ſtudioſis promeruiſſe videtur Zenus, quod typis imprimendum curaverit opus Julii Ottonellii, cui titulus *Annotazioni ſopra il Vocabolario della Cruſca*. Miror equi-

dem Zenum, qui nihil ignorare videbatur, quod ad hiſtoriam litterariam pertinebat, hujuſmodi opus tribuiſſe Alexandro Taſſonio, cujus erroris certiſſima argumenta ſi quis noſcere cupiat, adeat Taſſonii ipſius vitam a Muratorio copioſe ſane contextam. Siqua hic annotavit, quae corrigenda duxit, pauca admodum ſunt, neque quidquam commune habent cum Ottonellii opere. Multum etiam adjuvit Zenus eos, qui ad Jo. Caſae & Franciſci Redii opera copioſe magis, quam antea, Venetiis imprimenda ſtudium contulerunt, quae omnia cum ita accepiſſet memorata Furfureorum Academia, perinde ac ſi Zenus in ſe ipſam illa contuliſſet, locum ipſi inter ſuos dandum putavit. At ex omnibus curis, quas contulit Zenus ad litteras provehendas, nulla eſt ſive utilitate, ſive gloria meo judicio cum illa comparanda, quam impendit in opus, quod inſcribitur *il Giornale de' Letterati d'Italia*, quodque anno MDCCX. in vulgus edi eſt coeptum. Antea quidem edebatur Venetiis opus huic non prorſus diſſimile, cujus erat inſcriptio *la Galleria di Minerva*. Etenim de

recentioribus Italicis libris referebat; nec raro Zenus ipſe relator fuit, ut rem gratam amicis faceret. Quin etiam ſuppeditavit aliquando ſcriptum aliquod, ſicuti Triſſinii & Guarinii vitas ad illud ipſum opus ornandum. Nihilo tamen minus nec recte, nec ordine illud procedebat, & multorum ſordes cum paucorum clariſſimorum hominum ſplendore commiſcebantur (8). Itaque hoc maxime conducere ad Italiae gloriam arbitratus eſt Zenus tales fieri Ephemerides, quae optimum quemque librum Italorum ſcriptorum ſeligerent, de quo referretur, & de quo grave & ſincerum judicium exponeretur. Quoniam id confici ſine plurium intelligentium opera non poterat (neque enim hoc ſibi arrogabat Zenus ſe poſſe de rebus phyſicis, mathematicis, theologicis, & ad jurisprudentiam pertinentibus ſcienter dicere) viginti & amplius doctrina praeſtantes homines per Italiam ſparſos in ſocietatem operis vocavit (9), e quibus praeſertim nominabo Antonium Valiſnerium, Joannem Polenium, Jo. Baptiſtam Morgagnium, Benedictum Bacchinium, Juſtum Fon-

taninium, Ludovicum Muratorium, Salvinum Salvinium, & Scipionem Maffejum. Norunt omnes fuiſſe poſtremum hunc pluſquam ſatis gloriae cupidum, cui ſe ſervire putavit, ſi nonnulla, quae contulerat in communionem operis, ab eo ſeparaſſet, & tanquam propria cum aliis ſcriptis ſuis in publico propoſuiſſet. Talia erant epiſtola, qua Ferdinando III. Etruriae Principi opus nuncupatur, hujus praefatio, & quae exponunt tradita a Gravina *de origine Juris*. Non eſt credibile, quam hoc indignatus ſit Zenus; nec dubitavit ipſi Maffejo indicia dare ſuae indignationis, quam hac etiam de cauſſa juſtiorem putavit, quod illi ſuppeditaverat notitiam earum rerum, de quibus in eadem praefatione narratur. Nimis longus eſſem, ſi referre vellem omnes offenſiones, querelas atque moleſtias, quae ab hoc Ephemeridum opere, tanquam a fonte, ad Zenum profluxerunt. Neminem vero magis infeſtum magiſque arrogantem expertus eſt Jeſuita quodam cognomine Bernardo, qui, tribus editis epiſtolis, petulantiſſime invectus eſt in Zenum alioſque, quos aut

auctores, aut fautores putabat earum rerum, quae in III. volumine adverſus Germonium *pro vindiciis antiquorum Diplomatum Juſti Fontanini* prolatae fuerunt. Adverſario ſuo reſponſum nullum dedit Zenus, quanquam ad dandum ſtimularetur ab amicis. Nam in ea erat ſententia, ſe non poſſe melius hujuſmodi homines ulciſci, quam contemptu. Praeter quam quod ſibi rem eſſe exiſtimabat non cum uno Bernardo, ſed cum omnibus Jeſuitis, qui veluti ſues, uno laeſo, gregatim ingruebant univerſi. Si aliquando adverſus hos calamum ſumpſit non ſuam, ſed litterarum litteratorumque virorum & Italiae cauſſam egit, ut indicant permulta ſparſa in Ephemeridum voluminibus, quae Scriptores praeſertim Trevoltienſes oppugnant. Ex his autem omnibus ſcriptis maxime commemoranda videtur epiſtola ad Joſephum Urſium, qua ab accuſationibus Bohourſii & Trevoltienſium propugnatorum illius defendit locum quemdam Torquati Taſſi, ubi de pugna, quae fuit inter Tancredum & Clorindam, ait:

. . . . e ſe la vita
Non eſce, sdegno tienla al petto unita.

Optimam figuram (10) hanc eſſe oſtendit Zenus auctoritate & exemplis non ſolum Graecorum & Latinorum, ſed etiam ſcriptorum illorum, qui a Bohourſio laudibus in caelum elati fuerant; & poſtremo phyſicis argumentis probat, qui fieri poſſit, ut acceptis mortiferis vulneribus ab homine magnanimo & timido, diutius ille quam hic animam retineat. Qui legent hanc Zeni epiſtolam, aliaque plurima ejuſdem, quibus auxit Ephemeridum libros, facile judicabunt, quam eſſet in ſcribendo elegans, & in exiſtimando prudens; nec mediocres illi gratias habebunt, quod in hujuſmodi opere provehendo, cujus ſingulis quibuſque annis quatuor volumina in lucem exibant, pluris illi fuerit Italiae gloria atque utilitas, quam propria quies. Remittere aliquid de ſumma contentione, quam in Ephemerides Litteratorum aliaque ſtudia impendebat, coactus eſt ob collatam ſibi Veneti Loemocomii praefe-

cturam, quam anno MDCCXII. ſuſcepit, & per triennium ſuſtinuit. Habebat etiam, quae illum angerent, domeſticas curas; & hae & nunquam antea intermiſſae mentis exercitationes plurimum de ejus valetudine imminuerant. Cum ſeptem annos ante uxorem duxiſſet Ludovicam Mundonovam Joannis cauſidici filiam, & ſperaſſet hanc conjunctionem ſibi voluptati & tranquillitati fore, diſcruciabatur videns multum extenuari ſpes ſuas. Quo cum in ſtatu eſſet, pergebat, quantum publicae occupationes paterentur, ad ea ſolatia, quae non modo ſedatis moleſtiis jucunda, ſed etiam haerentibus ſalutaria illi eſſe potuiſſent. Poſtulabatur jamdiu ab ipſo, vel potius flagitabatur, ut in vulgus ederet, quae de Venetis hiſtoricis collegerat; cumque ſe debere hoc munus putaret non ſolum eorum ſtudiis, qui litteris delectabantur, ſed etiam patriae, egit cum typographo Loviſa de recudendis hiſtoricis illis, qui res Venetas publico decreto ſcripſerunt. Fuerunt hi Marcus Antonius Sabellicus, Petrus Bembus, Paulus Paruta, Andreas Mauroceuius, Baptiſta Na-

Digitized by Google

nius, & Michael Foſcarenius, in quorum vitis, praeſertim antiquiorum, exponendis non dubitabat, quin multa prolaturus eſſet incognita atque curioſa. Ornavit primum operis volumen ſatis longa praefatione, in qua perſecutus eſt aetates & gradus illorum omnium, qui res Venetas litteris prodiderunt. Hanc ſequitur Sabellici vita Latine, ut pote hiſtorici Latini, ſcripta, in qua dum copiam & diligentiam nimis fortaſſe exquiſitam admiror, elegantiam deſidero. Jamdiu enim Zenus reliquerat exercitationes Latine ſcribendi (11) ea credo laude contentus, quam ex ſuavitate Etruſcae linguae colligebat, quae tanta erat, ut appareret in eo nativum quemdam leporem eſſe, non adſcitum. Neque mediocriter elaboravit Zenus in notandis ad marginem libri temporibus, quibus res a Sabellico (hoc etiam praeſtitit reliquis in hiſtoricis) narratae ceciderunt, cum praepoſtera, perturbata ac confuſa plurima eſſent in illius hiſtoria. Petri Cardinalis Bembi vitam minime expoſuit Zenus, ſed expoſitam a Jo. Caſa copioſis notis illuſtravit & auxit, ut hanc praeponeret

hiſtoriae ſimplici illi quidem & nudae (Caeſarem enim unum imitatus eſt) ſed purae in primis atque illuſtri, quam Bembus Latine conſcripſit. Atque ex his conſtat ſecundum volumen. Tertium autem habet res a Paruta Italice conſcriptas graviſſimo ſane hiſtorico, cui neminem praefero copia praeceptorum ad rem publicam gubernandam, cognitione earum rerum, quae ſunt in hominum moribus, civilibus inſtitutis, & in Imperiorum diſciplina, & grata varietate, qua res externas cum domeſticis ita conjungit, ut illae his unice ſervire videantur. Quam de eo exaravit vitam Zenus, dignam quidem tanto viro omnes judicarunt compoſitione, ubertate, atque elegantia. In ipſo aditu operis narrat ille, qua de cauſſa circiter ann. MCCCXVII. non ſolum Parutarum familia, ſed etiam aliae multae nobilitate praeſtantes e Lucenſi in Venetam Rempublicam migraverint, quantiſque privilegiis decoratae fuerint, quod artem fabricandi ſerica Venetos docuere. Quanquam id certiſſima monumenta teſtarentur, juſtam tamen querelarum cauſſam cum Zeno ſe

habere putavit Petrus Garzonius Senator ampliſſimus (hujus enim familia in illarum numero fuit) quod ea protuliſſet in lucem, quae ipſe occultari maluiſſet, quaſi aliquid nobilitati ſuae detraherent. Hujuſmodi querela magnopere contriſtavit Zenum; neque illam mediocriter valuiſſe credo ad abjiciendum conſilium ea perficiendi & vulgandi, quae de Scriptoribus Venetis ipſe collegerat. Videbat enim ſe non poſſe omnia loqui ad veritatem, quin multorum in offenſionem incurreret (12). Reliquorum hiſtoricorum, quos ſupra nominavi, vitas minime contexuit Zenus ereptus patriae eo tempore, quo haec ab ipſo omnia ſumma expectare videbatur. Jam tum cum coeperunt in ſcenam prodire illius dramata, tanta illico de ipſo ſurrexit fama, ut haec non Italiae ſolum, ſed & aliarum regionum, & Germaniae praeſertim fines peragraverit. Quo factum eſt, ut ab Anſpachii & Vindelicorum Principibus, nec non a Leopoldo Caeſare valde liberaliter Zenus invitatus fuerit ad Poetae munus apud ipſos ſuſtinendum. Ne tum ab Italia & a patria

diſcederet variae obſtiterunt cauſſae, illa in primis, quod matrimonii vinculis eſſet irretitus. Haec ſolvit mors Februario menſe an. MDCCXV. uxore extincta, ex qua filiam habuit, quae vix lucem hominum adſpexit; ſed & alia ſupererant ſummae conjunctionis vincula cum matre & cum liberis, quos ea ſuſceperat ex nobiliſſimo viro Petro Antonio Cornelio, cui nuptam fuiſſe ſupra commemoravimus; itidemque cum fratre & ſorore & cum patria, a qua nova acceperat beneficia, praepoſitus exercendis vectigalibus, quae ex mercibus mari advectis exiguntur. Multum quidem aberat Zenus, ut ex his vinculis, dulciſſimis iis quidem, ut pote amoris & pietatis, laxari aliquid vellet; ſed quo facilius juvare eos poſſet, qui opis ſuae indigebant (13), ceſſit tandem liberaliſſimae invitationi Caroli VI. Caeſaris, qua ineunte autumno ann. MDCCXVIII. Viennam traductus eſt. Duos circiter menſes conſumpſit in itinere, cum non longe a Tarviſio fractum ei ex caſu dextrum crus fuerit. Nec ſolum in ipſa curatione, ſed cum Viennam etiam perveniſſet, chirurgi vitio & itineris

agitatione dolores & incommoda multa perpeſſus eſt. His malis acceſſit invidiae obtrectatio & tarditas ſumma, qua omnia pene negotia in Aula Caeſaris gerebantur, ob quam nec plane certus poterat eſſe Zenus de ſorte ſua, nec pecuniam habere in promptu, qua rebus ſuis conſuleret. Obverſabatur ei ante oculos exemplum Leibnitii Germanorum omnium doctiſſimi, qui magnis promiſſis invitatus, magniſque precibus impetratus a Boruſſiae Rege, duobus & amplius annis Viennae fuit nullum unquam videns exitum rerum ſuarum (14). Sed quam falſo timeret Zenus ſimilia ſibi accidere poſſe, intellexit ſtatim ac ex vulnere recreatus adire Caeſarem potuit. Hic enim dedit ei ſingulares voluntatis ſignificationes; & datis quoque muneribus, ſatis oſtendit ſe velle non ſolum quod promiſerat facere, ſed etiam prolixe cumulateque facere. Profecto plurimi ille liberalium artium ſtudia doctoſque homines aeſtimabat; neque erat mediocriter in litteris verſatus. Narrabat ſe in prima juventa ſtudium philoſophiae acrius ultra, quam conceſſum Principi videri poſſit, coluiſſe,

fuiſſe, niſi prudentia inſtitutoris incenſum & flagrantem animum coercuiſſet: poſtea mitigavit ratio & aetas, retinuitque, quod de Agricola quoque praedicat Tacitus, ex ſapientia modum. Adeo pollebat memoria, ut quae in pueritia acceperat legeratque, adultus recordaretur; adeoque ardebat cupiditate hunc omnium rerum theſaurum magis magiſque locupletandi, ut libros, de quibus maxime praedicari audiebat, aut legeret per ſe, aut de iis ad ſe referre doctos homines juberet. Nae ille permagno tenebatur deſiderio inſtituendi Viennae Academiam, quam flos doctorum hominum condecoraret, quaeque Pariſienſem & Londinenſem aemularetur. Hac de re ſaepe Caeſar cum Zeno ſermones habuit ejus conſilia & operam exquirens. Sed quoniam fruſtra adlaborant Principes in hujuſmodi rebus, niſi habeant intelligentes & bene animatos adminiſtros (tantum ne florere potuiſſe Ludovicum XIV. favore in litteras putamus, ſi Colberto caruiſſet?) ſtudiis Caeſaris minime felices exitus contigere. Sed non propterea minus ille efferendus eſt laudibus; &

quidem plenae ſunt litterae Zeni (15) hujuſmodi praeconiis debitis non tam ingenio Caeſaris, illiuſque ſingulari amori in litteras, quam ejuſdem maximis clariſſimiſque virtutibus. Quam vellem tanti Principis vitam hiſtoriae monumentis illo ſuo mirabili Etruſce ſcribendi lepore Zenus conſignaſſet! Et maximum incitamentum illi poterat eſſe, quod non ſolum Poeta, ſed etiam Hiſtoricus Caeſareus declaratus eſſet, quodque de eo ſcripſiſſet, qui cum res geſtas, tum aures atque ſtudium adhibere potuiſſet. Sed omne ferme tempus conſumere cogebatur Zenus in ſtudio muſico, quod utile magis quam gratum illi erat. Paullo poſtquam Viennam advenerat, in ſcenam attulit Iphigeniam; nec defuere maledici, qui ſurreptam, non factam ab illo fuiſſe dicerent. Hujuſmodi maledictis ita reſpondit Zenus, ſe quidem tranſtuliſſe ſuum in melodrama ab Euripide & Racinio locos quoſdam, cum incidit, ut id apte fieri potuerit, ut ab Homero Ennius, Afranius a Menandro, & Racinius ipſe ab Euripide conſuevere. Et quidni id liceret, ſi veteres celebriores poetae

tum etiam bene mereri de ſuis civibus judicabantur, quando integras Graecorum fabulas vertebant, ut ad ſuorum cognitionem divina illa ingenia transferrent? Qui igitur haec vituperant,

Faciunt nae intelligendo, ut nihil intelligant.

Poſt Iphigeniam dedit Zenus L. Papirium; atque hic ſi illi ceſſit perfectione operis, anteivit certe approbatione & plauſu ſpectantium; ipſeque Caeſar nihil ſimile ſe unquam vidiſſe audiviſſeque palam profeſſus eſt (16). Huic rei cauſſam praeſertim dediſſe putavit Zenus copiam graviſſimarum ſententiarum, quibus quaſi ſtellis ſuum illuſtravit melodrama. Etenim brevi intellexit nihil dulcius eſſe graviſſimo optimoque Principi exemplis grandioribus, orationibuſque ſumptis de vita, quae aut quid ſit, aut quid eſſe oporteat, doceant; contra vero nihil inſulſius amoribus iis, quos homines arte ſua abutentes in ſcenam invexere, quoſque corrupti depravatique mores retinuerunt: quapropter aliam viam, quam tritam eatenus a

ſe ipſo tenendam ſibi putavit (17). Cum an. MDCCXIX. Maria Joſepha Joſephi I. Caeſaris filia Friderico Auguſto Regio Principi Saxoniae nupta fuiſſet, has nuptias dramate celebrare juſſus eſt Zenus, in eoque elaborando non tam officio ſuo omniumque expectationi, ſed, quod difficillimum erat, ſibi ipſe ſatisfecit. Appellavit hoc *Sirita*, quae erat filia Sivaldi Daniae Regis, de qua narratur praeter patris, nullius unquam hominis conſpexiſſe vultum, adeo pudica erat. Adſpexit tandem Ottarum, & cum eo nupſit; ac mirum profecto eſt, totius dramatis nodum ex unico oculorum obtutu pendere potuiſſe. Deinceps multa alia melodramata, de quibus ſingulis dicere non eſt neceſſe, eaque non minus diligenter elaborata & tanquam elucubrata attulit. Etenim ſe ſemper ante oculos habere dicebat praeceptum, quod Q. Tullius Cicero Marco fratri petenti Conſulatum his verbis dedit: *Quamobrem quoniam ab hac laude proficiſceris, & quidquid es, ex hoc es, ita paratus ad dicendum venito, quaſi in ſingulis cauſſis judicium de omni ingenio futurum ſit*. Et quanquam hoc Zeno,

cum aliquid accuratius ſcripſiſſet, ſemper fere contigerit, ut nunquam ſcripſiſſe melius putaretur, tamen cum docuit Nitocrim, omnium conſenſu ſic fuit tum judicatum, ceteros a Zeno ſemper omnes, illo autem dramate etiam ipſum a ſe ſuperatum (18). Non unus erat Zenus Poeta in Aula Caeſaris. Erat & eodem gradu Petrus Pariatus homo non ſolum ſtudiorum ſimilitudine, ſed & officiis, uſu & conſuetudine jamdiu Zeno conjunctiſſimus, quem aliquando ſibi ſocium in componendis dramatibus adjunxit, & tum maxime, quando anguſtiae temporis illum coegerunt. Nam eodem anno duo ſaepe dramata facere juſſus eſt; neque haec tantum, ſed etiam illius generis poemata, quae *Oratorj* nos appellare ſolemus. Habuit interdum a Caeſare alia etiam mandata poetica, velut extraordinaria penſa, in quibus omnibus magna ſolebat eſſe occupatio ſtudiorum ſuorum. Nihilo tamen minus ſi incurrebant ſubceſiva quaedam tempora, haec homo induſtria ſingulari perire non patiebatur, multaſque diſſertationes tum hiſtoricas, tum philologicas contexuit (19). Nec deerat

litteratis amicis illuſtria ac prope divina bona, quae multis vigiliis, improbo labore, aſſidua exercitatione adeptus erat, non apud ſe avare continens, ſed ad communem illorum utilitatem liberaliſſime conferens. Et commemorandum mihi in primis videtur quomodo ſe geſſerit adverſus Muratorium, ex quo conjici poteſt Zenum nunquam invidiſſe, ſed faviſſe ſemper alienae gloriae. Declaravimus ſupra ipſum innumera fere collegiſſe ad opus illud conficiendum, quod inſcribere meditabatur *Scriptores rerum Italicarum*, ex quo maximam ſibi laudem poterat polliceri. Dolebat ob ſuum Viennam adventum fuiſſe tantum opus interruptum, cujus tamen conficiendi neque deſiderium neque ſpem depoſuit. Quin immo ex Caeſaris bibliotheca & tabulario, in quod penetrare libere poterat, non pauca hauſerat ad illud ipſum ornandum. At ubi Zenus intellexit Muratorium eamdem cogitationem curamque ſuſcepiſſe, non queſtus cum illo eſt, quaſi in alienas poſſeſſiones invaſiſſet, ſed ipſum & conſilio & opera, & quibus aliis potuit rebus, ad incoepta perficienda adjuvit. Non

pauca etiam contulit, ipſo hortante Caeſare, in opus Ephemeridum Litteratorum Italiae, cujus curam Petri Catharini fratris ſui cariſſimi ingenio ac diligentiae praeſertim commiſerat. Et ſiqua fuerunt alia hujuſmodi mandata, ſicuti ea, quae ſpectabant impreſſionem Scriptorum rerum Venetarum, narrationemque vitarum Maurocenii, Nanii & Foſcarenii, in iis exequendis plurimum eumdem fratrem adjuvit. Nihil vero, quod eſſet alicujus momenti, conſignabat litteris Zenus, de quo Caeſar in familiariſſimis, quos cum eo habebat, ſermonibus doceri minime vellet. Sic enim ſuppeditari ſibi dicebat, ubi animus ex Aulae ſtrepitu reficeretur, & aures rebus publicis defeſſae conquieſcerent. Quod delectationis genus utinam omnes guſtarent Principes. Nam voluptates, quibus multi eorum tenentur, neque temporum ſunt, neque aetatum omnium, neque locorum, & ſaepe creant offenſionem atque faſtidium. Quare merito dicebat Scipio, quod ſecum Ennium haberet, ſe multorum triumphis anteponere. Quo vero vincula, quae Viennae Zenum retinere debuiſ-

ſent, arctiora faceret Caeſar, illum ſuccedere optaſſet in locum Jo. Benedicti Gentilotti, qui erat a bibliotheca, aut illius, qui curam habebat antiquorum numismatum ceterorumque vetuſtatis monumentorum. Et ipſe noverat optime bibliothecam & muſeum, quod utriuſque frequentandi data ei raro ſane exemplo licentia ac libertas fuerat; & bene etiam de utroque meritus erat, cum donaſſet Caeſari rara quaedam monumenta, cumque illius conſilio factum eſſet, ut ab eodem millibus florenorum LXXX. emeretur bibliotheca Hoendorfiana Batavarum fere omnium celeberrima. Nihilo tamen minus utrumque munus recuſavit, ſperans ſe aliquando ad ſuos Italos liberum, tanquam emeritis ſtipendiis Muſarum, poſſe remeare. Semel iterumque & tertio reviſit ſuos; poſtremo valetudinem, ingraveſcentem aetatem, aliaque incommoda excuſans plane deſerendi Viennam & Aulam a Caeſare veniam impetravit. Invitiſſime ille a ſe tantum virum dimiſit, quo neminem videbatur habere cariorem: aegre & dolenter Zenus ſe ab eo Principe disjunxit, quo

neminem ſibi amiciorem, ſi id loqui de Principibus fas eſt, & beneficentiorem ſibi fuiſſe dicebat (20): ſed vicit ſuorum patriaeque caritas, rediitque Venetias XI. anno poſtquam inde primum diſceſſerat. Plura ſecum detulit munera (*& praeconia Principum*, ut ait Poeta ille Siculus, *eſſe debent clarae munera liberalitatis*) quae non tam a Caeſare habuerat, quam a Willelmina Amalia Joſephi I. uxore, a qua ſe aliquando adhibitum eſſe narrabat ad convertenda e Latino in Italicum ſermonem, praeter alia quaedam, ſcripta neſcio quae S. Auguſtini. Illud vero maximum beneficium fuit, quod annuum ſtipendium quatuor mille florenorum, quod Zeno, cum primum Viennam venit, conſtitutum fuerat, abſenti etiam ſolveretur ea conditione, ut ſingulis quibuſque annis ſacrum drama conficeret, quod cani ad harmoniam mos erat feria VI. majoris Hebdomadae in Sacello Caeſareo. Horum dramatum XV. ipſe in vulgus edidit ann. MDCCXXXV. dedicavitque Carolo & Eliſabethae Auguſtis conjugibus. Poſt haec alia duo componere juſſus eſt, quae minime in vulgus prodie-

re. Verum ex quo alacritas illa, qua ſtudia poetica ſoventur, deſerbuit in Zeno, animumque ejus graviorum & ſeneſcente aetate digniorum artium tractatio ſibi vindicavit, invite ſe ad Muſas referebat; quapropter hujuſmodi dramatum conſcribendorum curam Petro Metaſtaſio, qui ſuum in locum ſucceſſit, datam fuiſſe non modo facile paſſus eſt, ſed etiam vehementer gaviſus. Inter haec autem dramata primum locum ſe dare dicebat illi, cui nomen *la Geruſalemme*, quodque ad Chriſti pedes cruci ſuffixi jacens magna ex parte confecit. Nec miror hominem ſingulari in Chriſtum Jeſum pietate potuiſſe tale argumentum & tenere & cum ſenſu tractare. De reliquo ſatis ſe contentum eſſe dicebat Zenus ſacris his dramatibus, cum e contrario memoriam extingui optaret ceterorum, quae in theatrum adduxerat. Quapropter nunquam a ſe impetrare potuit, ut haec corrigeret, cujus tamen rei faciendae, eademque ſimul juncta Venetis typis imprimendi Gaſparo Gozio homini ſane intelligenti poteſtatem fecit (21). Sed quamvis ita de ſuis melodramatibus judicaret Zenus,

ut abortus potius quam partus illa eſſe diceret, aegre tamen tulit in ea fuiſſe ſententia Muratorium, Fontaninium alioſque, ut vix aut omnino fieri non poſſe crederent aliquid tolerabile in hoc poeſis genere (22). Profecto quae habemus tum Zeni tum Metaſtaſii dramata ſatis illos convincunt erroris; nec mediocris & obſcura laus fuit Zeni, primum omnium exemplo ſuo monſtraſſe viam, in quam diu longoque intervallo errantes homines adduci poſſent. Argumenta apte eligebat, feliciterque explicabat; illo ſuo ſingulari judicio in tota dramatis oeconomia videbat quid deceret, quid non; non mimicos & ſcurriles jocos, ut omnes fere ante ipſum, neque res magis a veritate abhorrentes, ſed aptas graveſque conſectabatur ſententias, & a vero aut a vero ſimili nunquam diſcedebat. Plurimum ſane concedit Metaſtaſio poeticis ornamentis, lepore, venuſtate, & ſenſu, ac arte quadam, quibus ille & commovet, & totos ad ſe rapit auditores ſuos; nihilo tamen minus habet & ſuas virtutes Zenus, & illam praeſertim, qua novit omnia momento quodam

ac judicio diſpenſare atque diſponere. Praeter haec, qui de his duobus poetis judicare volunt, reminiſci debent neminem Zeno, hunc vero Metaſtaſio fuiſſe ducem. Non ſine cauſſa aliquando exquiſivi ab ipſo Metaſtaſio, quid de Zeni dramatibus ſentiret, cujus ſapientiſſimum elegantiſſimumque reſponſum infra exſcribere juvabit (23). Nimis fortaſſe multa de poeticis Zeni ſcriptis. Reliqua nunc perſequemur, in quibus idem elaboravit beneficio Caeſaris Auguſtaeque Filiae fruens in patria otio cum dignitate, quod maxime eſſe optabile bonis & beatis viris merito dixit Cicero. Vitam Henrici Catharini Davilae Italice & copioſiſſime expoſuit, ediditque cum illius hiſtoria de bellis civilibus Galliae an. MDCCXXXIII. Vitam etiam alterius hiſtorici Franciſci Guicciardinii a Dominico Maria Mannio conſcriptam notis auxit atque illuſtravit. Collegit quam plurima ad Mutii Juſtinopolitani vitam & ſcripta pertinentia, quae litteris mandare meditabatur. Id vero cum praeſtare variis impeditus difficultatibus minime potuiſſet, collecta a ſe ſe Joanni Rainaldo Carlio li-

beraliter conceſſit. De Manutiis omnium maximis typographorum non pauca ſane curioſa, nec antea bene cognita in lucem protulit: majora etiam protuliſſet de libris praeſertim ab ipſis impreſſis ab an. MCDLXCV. ad annum uſque MDXCVII. quo tempore mortem obivit Aldus junior, & de univerſa illorum typographii hiſtoria, ſi aut diutius vixiſſet, aut ſurrepta ei minime fuiſſent adverſaria, in quibus minutiſſima quaeque ad hanc rem ſpectantia deſcripſerat. Deſperans ſe poſſe perficere ob provectam aetatem valetudiniſque incommoda opus multi ſane laboris multarumque vigiliarum de Scriptoribus Litteratiſque Venetis, quod priuſquam Viennam concederet, inſtituerat, innumera pene a ſe diligentiſſime collecta & prudentiſſime obſervata ceſſit Joanni de Auguſtinis erudito viro e Franciſcana familia, qui toto animo & ſtudio omni in idem opus ſe dicebat incumbere. Eadem & majora etiam poſtea ſuppeditavit Marco Foſcarenio maximo & ſpectantiſſimo viro, qui idem ſic tractavit argumentum, ut etiamſi multi cum ipſo contendiſſent, omnes tamen non ſolum

rerum copia, ſed etiam judicio, & dicendi arte facile ſuperaſſet. Saepe ipſe in ſuo libro mentionem Zeni facere debuit, & nunquam fere fecit ſine praeclaro judicii ſui teſtimonio (24). Et ſane in patriis monumentis perquirendis quid ejus diligentiam ſubterfugit, aut ſatietati ſuperfuit? Non parum adjuvit Nicolaum Colletum & Antonium Fridericum Seghezzium, cum alter Ughellii opus de Italis Epiſcopis, alter hiſtoriam & commentaria Creſcimbenii de Italica poeſi corrigenda illuſtrandaque ſuſcepiſſet. Sed non paucos Creſcimbenii errores antea etiam emendaverat Zenus, cum id opportune facere potuiſſet in prioribus Ephemeridum Litteratorum Italiae voluminibus. Haec vero amice accepiſſe Creſcimbenium ex eo conjici poteſt, quod multa a ſe prolata in hiſtoria, in commentariis, quae illam ſubſecuta ſunt, poſtea retractavit emendavitque. Sed emendationes, retractationes & corollaria huc & illuc ſparſa adeo perturbabant & confundebant omnia, ut vix ullum amplius uſum haberet pars illa, quae ad hiſtoriam ſpectabat, & nunquam ſatis clare

apparerent contenta in ipſis commentariis. Bene igitur ac ſapienter factum eſt a doctis viris, qui opus ex inordinato in ordinem adduxerunt, ſingulae perſonae & tractationi, quae ſua eſſent, concedentes, & horum multa neceſſariis notis illuſtrantes. Eodem tempore, quo haec gerebat Zenus, laborabat quoque, ne a ſcribendis Litteratorum, quas Ephemeridas vocavimus, faſtis ulla fieret intermiſſio: cumque unum ex omnibus ad hoc opus maxime aptum cognoviſſet fratrem ſuum, maximam oneris partem in illum tranſtulerat. Quare minime eſt mirandum, ſi hoc e vivis an. MDCCXXXII. erepto, impeditoque tum Apoſtolo aetate, morbis, aliiſque occupationibus, idem opus paullo poſt plane ceſſaverit. Non quaero quid alii poſtea geſſerint, ne Italiae Ephemerides ſuae deeſſent: nam propoſitum nobis tantummodo eſt de rebus a Zeno geſtis narrare (25). Ceterum hic graviter adeo tulit mortem fratris amicitia omnique voluntate ſententiaque ſibi conjunctiſſimi, ut nulla res ejus ſanare vulnus potuerit, increpantibuſque nimium dolorem illa Auguſtini ſolebat

reſpondere: *quoniam itaque deſerebar tam magno ejus ſolatio, ſauciabatur anima mea; & quaſi dilaniabatur vita, quae una facta erat ex mea & illius* (26). Neque multo poſt matrem quoque amiſit; & plenae ſunt ejus epiſtolae querimoniarum ob mortem illius, & amicorum; eaeque ſatis declarant ſenſus humaniſſimos tenerrimoſque ei naturam tribuiſſe. Quod nolim a duris quibuſdam hominibus, tanquam effeminatum, accuſari. Etenim carere ſenſu doloris miſerius eſſe arbitror, quám immoderate dolere. Magnum tamen ei in his doloribus afferebat ſolatium ſocietas Andreae Cornelii fratris ſui, apud quem vivebat, & quocum omnia communia habebat: ut aliqua vero ratione compenſaret jacturam, quam ſtudia ſua in morte fratris fecerant, horum ſocium & adjutorem ſibi adſcivit Joannem Antonium Verdanium hominem quidem optimis artibus erudititiſſimum. Sed eo praeſertim uſus eſt in conficiendis indicibus bibliothecae & muſei ſui, quorum utrumque multorum ſane erat nummorum, & ſuperbiſſimo delectu collectum, adeo ut rem gratam & utilem harum

rerum

rerum amatoribus ſe facturum Zenus putaverit, ſi eoſdem indices in lucem ederet. Nihil dum allatum a nobis eſt, ex quo intelligi potuerit fuiſſe in Zeno inſatiabilem quamdam cupiditatem colligendi praeſtantiora veterum Graecorum Romanorumque numiſmata; & ipſum in veris a falſis diſtinguendis, iiſdemque explicandis oculos eruditiſſimos habuiſſe. Coepit anno MDCCV. magis obvia Imperatorum numiſmata veluti per jocum emere; ex his deſiderium haud vulgaria & communia colligendi; poſtremo tanta cupiditas praeſtantiorum & rariorum, ut cum non ſemper haberet in promptu pecuniam ad illa comparanda, magis illum poeniteret coepiſſe, quam liceret deſinere. Eo tempore, quo Viennae fuit, quod magis abundaret, maximam muſei ſui partem acquiſivit, ſaepe etiam his de rebus mandata dans abſentibus amicis ſuis. Fuit profecto ad rariora acquirenda numiſmata ſummae diligentiae maxima adjuncta fortuna, geſtiebatque laetitia Zenus quod poſſet cum divitioribus hac in re contendere. Neque haec ad inanem oſtentationem. Intellige-

bat enim quantum hiſtoriam juvaret numiſmatum ſtudium, in quo ut ipſe, experientia & lectione ducibus, longiſſime procederet, utque ejuſdem amorem in Italis ſuis accenderet, nulli parcebat induſtriae. Non eſt tamen celandum, quamvis in hujuſmodi rebus peritiſſime ac callidiſſime verſaretur Zenus, ipſum aliquando in errorem raptum fuiſſe, cum argenteum Hadriani numiſma maximi, ut vocant, moduli, cujus compotem fecit amicum ſuum Jo. Franciſcum Baldinium ad augendum opus Vailantii *de numiſmatibus Imperatorum Romanorum praeſtantioribus*, ad Auguſtum pertinere putaverit. At gratulor Zeno, qui perquam raro offendebat in iis rebus, de quibus affirmabat, aliquando tamen lapſum fuiſſe, ne haec quoque laus ei deeſſet, ingenue ſemper confeſſum eſſe errata ſua, ſicuti decet viros bonos & ſimplicis veritatis amicos (27). Dolendum vero, ſi ſparſa quaedam in ejus familiaribus epiſtolis exceperis, nihil ipſum mandaſſe litteris poſteritatique earum rerum, quas obſervaverat in veſtigandis antiquitatis monumentis; quod ne faceret obſtitit praeſer-

tim ſingularis illius modeſtia (28). Reperta inter ejuſdem ſcripta fuit de Gente Julia diſſertatio, ſed haec nulla ex parte perfecta. Acerrima & fortiſſima cupiditas, qua tenebatur Zenus, praeclara numiſmata parandi, paullulum imminuta ac debilitata fuit temporibus illis difficillimis ſolutionis, quibus ob mortem Caeſaris crudeli bello tota ardebat Germania: ac poſtremo, quo rebus ſuis providere melius poſſet, conſilium cepit vendendi grandi ſane pecunia muſeum ſuum nobiliſſimo viro Germano, quod nunc quidem extat apud Canonicos S. Floreani in Auſtria Superiore. Reſtabat Zeno velut oblectamentum & ſolatium ſenectutis omnibus libris ornata atque referta bibliotheca, cui unice ſe debere putavit magnum opus, quod extrema aetate ſuſcepit ad emendandum Juſti Fontaninii librum inſcriptum *Biblioteca dell' Eloquenza Italiana*. Cum primum anno MDCVI. in lucem prodiit iſtud opus, rogatus Zenus de eo ſententiam exponere ſuam, ſcripſit ad Fontaninium quae magis ad emendationem perfectionemque illius conducere putavit, & quae non aliena eſſe du-

Digitized by Google

xit ab amicitia. At Fontaninius, cujus aures nunquam praeceptis & monitis amicorum facile patuerunt, ex una parte aegre tulit ſe potuiſſe de infinitis rebus a Zeno admoneri, ex altera gaviſus eſt habere ſe, quo melius poſſet exiſtimationi ac gloriae ſuae conſulere, quotieſcumque ejuſdem operis ſecundo imprimendi conſilium ſuſcepiſſet. Id ita praeſtitit extrema aetate, ut multa, ſed non omnia emendaverit; quodque mirabilius eſt nunquam in toto opere Zeni mentionem fecit, quaſi hominis vulgaris, & quaſi nihil ab eo ſubſidii accepiſſet. Doluit id Zenus; & ſane juſtam habuit dolendi cauſſam. Nullam enim litterae aliam mercedem laborum deſiderare videntur praeter hanc laudis & gloriae, qua quidem detracta, quid eſt quod in hoc tam exiguo vitae curriculo, & tam brevi tantis nos in laboribus exerceamus? Sed Zenus magis etiam quam ſuam dolebat vicem plurium amicorum ſuorum, quos male habuerat Fontaninius. Quapropter aequitati veritatique, & Italiae quoque gloriae ſe ſervire exiſtimavit, ſi illud opus non augendum perficiendumque,

quod infinitum & immenſum fuiſſet, ſed emendandum, & interdum etiam illuſtrandum ſuſcepiſſet. Et ſane non exiguus erat campus, in quo mirabilis Zeni prudentia atque eruditio excurreret. Nam frequenter Fontaninius temere credit, & ex levi conjectura fallaciſſime judicat; nunquam perpendit aliena judicia, quando utitur ſuis; in his ipſis non ſemper ſibi conſtat; ſaepe negligit aptam & accommodatam rerum diſpoſitionem; & ſaepiſſime res maximi momenti oſcitanter praetermittens, eas, quae ſunt minimi, faſtidioſe repetit. Cum vero de libris refert, frequentiſſime labitur, mutans & confundens eorum inſcriptiones, nomina & cognomina typographorum, tempora, loca & formas, quibus fuerunt impreſſi, & errans interdum in ipſorum Scriptorum nominibus, eorum patriis & temporibus, quibus vixere, recenſendis. His aliiſque malis ut provideret, quaſi ſuo jure ſibi ſumpſit Zenus. Nemo enim illo fuit unquam inſtructior in ea parte litterariae hiſtoriae, quae ad Italos per quinque & amplius ſaecula pertinet, cujuſque parens me-

rito a nonnullis nominatur. Quo inſtrumento, judicio acri & certo, magna, ut diximus, librorum copia, ea diligentia, ut nihil affirmaret quod ipſe per ſe non vidiſſet, atque lepore, feſtivitate ac ſale ſcribendi ſummo tales potuit Zenus animadverſiones illuſtrationeſque in Fontaninii *Bibliothecam* facere, quales a nemine fieri potuiſſe arbitror. Atque hae virtutes magis etiam comparent ob argumenti genus in eo opere, quod omnium Zeni eſt maximum, quodque inſcribitur *Diſſertazioni Voſſiane*. Scripſit Voſſius volumina duo de Graecis Latiniſque hiſtoricis, ſed ita ſcripſit, ut imitari eos voluiſſe videatur, qui in uberrima ſegete non ſolum ſtipulas excidendas, ſed etiam ſpicas ipſas aliis colligendas relinquunt. Sed praeſertim Scriptorem diligentia defecit in ea parte, quae ſpectat ad Italiam, cujus amor facile a Zeno impetravit, ut ipſum ſuppleret emendaretque, ab eo tempore initium ſumens, quo Franciſci Petrarchae opera in primis factum eſt, ut litterae tanquam ad adſpiciendam lucem revocarentur. Inchoavit opus anno MDCCXII. idque in Diſſertatio-

nes diſtribuere conſilium coepit, ut iis modo unum, modo alterum Ephemeridum Litteratorum Italiae volumen ornare poſſet. Tali modo Diſſertationes XV. in vulgus edidit Zenus, quae centum hiſtoricorum vitas illuſtrant; quas qui leget, facile exiſtimabit adeo diligenter illum habuiſſe cognitam antiquitatem, ut eam fere totam in iis expoſuerit. Quare non eſt mirandum, ſi ſummo plauſu exceptae fuerint: nec quiſquam poſtea extitit, cui neceſſe fuerit de iiſdem hiſtoricis ſcribere, qui Zeni Diſſertationes tanquam oraculum minime conſuluerit (29). Nec defuere etiam, qui integras vitas ſuos in libros retulerint, quod ſaepiſſime fecit Joannes Petrus Niceronius, & non raro Joannes Fabricius, hic in Latinum, ille in Gallicum ſermonem ipſas convertens. Tantam vero Niceronius fidem habendam Zeno putabat, ut notare praetermiſerit fontes, unde ille res a ſe prolatas hauſiſse dicebat, qua de re a Menchenio in eo libro, quem de vita Angeli Politiani ſcripſit, reprehenſus eſt. Poterat quidem Zenus falli ut hu-

manus, quod a ſe alienum eſſe, tantum aberat ut putaret, ut poſtquam ſe a *Bibliotheca* Fontaninii expedivit, emendandas, augendas, ac pene totas reficiendas ſuſceperit Diſſertationes ſuas Voſſianas. Mirum id non ſolum, ſed novam etiam Diſſertationem, quae eſt de vitis Marini Barletii & Marini Becichemi facere potuiſſe Zenum, quando eum diuturnis ſebribus, haemorrhagia, inſomniis & ſtomachi doloribus afflictum corporis vires deſecerant. Sed mens priſtinum conſervabat robur. Cumque ſecus narraſſet Joan. Lamius de Zeno mentionem faciens ſuis in Ephemeridibus, dicitur hic recitaſſe amicis ſuis, quam proxime ſcripſerat, diſſertationem, quaeſiſſeque, imitatus Sophoclis exemplum, num illud opus deſipientis ſenis eſſet. Iis malis acceſſit etiam apoplexis, ob quam oculorum pene lumine & ſiniſtri lateris uſu, & ſcribendi facultate plane privatus fuit. Nihilo tamen minus non prorſus obmutuit ſuis in ſtudiis, cum ea dictaſſet Autonino Valſechio, quae praefatus eſt de iiſdem Diſſertationibus. In

his non pauca de ſe, quod ſenili aetati conceditur. Ut apud Homerum ſaepiſſime Neſtor de virtutibus ſuis praedicat! Nec erat Zeno verendum, ne vera de ſe praedicans nimis videretur aut inſolens aut loquax. Etenim ex ejus lingua (ſicuti de Neſtore quoque teſtatus eſt Homerus) melle dulcior fluebat oratio, quod ex iis, quae de ipſo narravit expoſuitque Marcus Forcellinius in praefatione libri de *Bibliotheca Italicae Eloquentiae*, praeſertim intelligi poteſt. Cum vero multi admirarentur tum ceterarum rerum illius excellentem perfectamque ſapientiam, tum vel maxime fortitudinem ac conſtantiam in ferendis acerbioribus malis, ſolebat ridens illa Ciceronis reſpondere: *neceſſe fuit eſſe aliquod extremum, & tanquam in arborum baccis, terraeque frugibus, maturitate tempeſtiva, quaſi vietum & caducum, quod ferendum eſt molliter ſapienti*. Sed hujuſmodi fructus, mirificos illos quidem, afferebat conſcientia bene actae vitae, multorumque benefactorum jucundiſſima recordatio. Quis enim illo fuit caſtior, quis integrior, quis

ad miſericordiam liberalitatemque propenſior, quis ad omnem humanitatem magis accommodatus? Adfuit illi ſemper purior religio, quam ſic coluit, ut vel rigidiſſimis ſatisfaceret. Cum rebus divinis operam daret, lapidem, non hominem dixiſſes; adeo in caeleſtium rerum meditatione erat defixus. Cum vero conſueſceret haud exiguam diei partem inſumere in divinis recolendis myſteriis, in ſacris evolvendis libris, in effundendis ad Deum precibus eo tempore, quo haec faciebat, illius janua, quae quotidie frequentia illuſtriorum hominum celebrabatur, quae ſemper multorum poſtulationibus patebat, omnibus occludebatur. In B. V. ſingulariter pius ſemel iterumque ſenex atque aeger Lauretanam Domum inviſit. Poſtremo ad veram beatitudinem, quam ſemper quaeſivit, unice adſpirans, libros, amores ac delicias ſuas, quos teſtamento reliquerat religioſis Dominicanae familiae hominibus, antequam moreretur ipſe conceſſit, illa uſurpans verba: *Ecce nos reliquimus omnia & ſecuti ſumus te* (30). Mendacium

neque dicebat, neque pati poterat; cumque abeſſet etiam a ſimulatione, quae tollit judicium veri atque adulterat, rogatus ſententiam ſuam de aliorum ſcriptis, ita reprehendebat ea, quae vituperanda duceret, ut nullum offenſioni locum relinqueret (31). Sine arrogantia gravem, & ſine ſegnitia verecundum non facile intellexiſſes utrum magis vererentur, an amarent amici, quos multos habuit, quoſque ſic coluit, ut appareret nihil ab iis ſibi eſſe velle ſejunctum. Hoc quoque ſit Zeni bonitatis exemplum, quod eorum, inter quos non ſolum eſſet laudis aemulatio, ſed etiam obtrectatio tanta intercederet, quanta incidit inter Fontaninium, Muratorium atque Maffejum, uſum benevolentiamque ſemper retinuerit. Pacis vero amantiſſimus nulli parcebat induſtriae, ut non ſolum odia, ſed etiam querelae tollerentur; & illo arbitro & conſiliario, multae porro diſſenſiones & controverſiae extinctae ſunt. Sic ſe gerendo, & neminem laedens, facillimeque obliviſcens injurias, potuit gloriari multos ſe amicos, neminem

vero inimicum habere. Tanta vero lenitas & manſuetudo Zeni eo admirabilior eſſe debet, quod natura erat propenſus ad iram, ſed ipſe vel a prima aetate nimios animi motus, & rationi non obtemperantes frenare didicerat. Erunt fortaſſe qui exiſtimabunt hoc Zeni elogium non plane congruere cum iis, quae ſcripſit ad emendandam Fontaninii *Bibliothecam*. Ii mirari potius debent tanta fuiſſe Fontaninium petulantia atque negligentia, ut aliquid ſalis ab homine ingenii dulciſſimi trahere potuerit. Praeter quam quod minime in vita erat Fontaninius, quando illa ſcripſit Zenus; nec vulganda permiſit niſi conſilio illius, quem a confeſſionibus adhibebat, qui judicavit ipſam per ſe veritatem acriter ſaepe a Fontaninio laeſam, ſi cauſſam ſuam defendere debuiſſet, non lenius defenſuram. Quanquam gloria, ampliſſimiſque honoribus abundaret Zenus, modeſtiam tamen ſemper ſervavit; & gratia quae illi fuit maxima cum Caeſare, cum Eugenio Principe Sabaudico, aliiſque potentioribus, non ad oſtentatio-

nem, propriamque augendam fortunam, ſed ad aliorum uſus eſt ſubſidium. Tanta autem cum eſſet modeſtia, nunquam ſenſit invidiae morſus, & nihil minus verebatur, quemadmodum de Scipione praedicavit Livius, quam ne quis obſtaret gloriae ſuae. Quare minime eſt mirandum, ſi vix ferre poterat quoſdam in litteratorum republica aut principatum, aut perpetuam dictaturam appetentes. Erat & aliud genus hominum, quos vitabat, & cum videbat, tanquam auſpicium malum, deteſtabatur. *Hi autem erant*, qui *blaſphemant quaecumque quidem ignorant: quaecumque autem naturaliter, tanquam muta animalia, norunt, in his corrumpuntur*. Difficile eſt omnia perſequi, & non neceſſaria. Illud unum intelligi volumus fuiſſe Zenum hominem ſingulari virtute & doctrina. Tali modo cum annos unum & octoginta & menſes XI. compleſſet, obiit Venetiis, ſepultuſque in Aede *Sanctiſſimi Roſarii* cum funeris pompa (32). Laudatus etiam fuit Italica & Latina oratione, quarum alteram Antoninus Valſechius, alteram

Hyacinthus Menegattius, uterque Ordinis Praedicatorum, habuit. Quod ſi pro meritis gratiae referri deberent Zeno, aut hoc tempora ipſa paterentur, jam in celeberrimo aliquo urbis loco, quemadmodum olim Delphis Georgiae illi Leontino, inſigne ejus virtutis monumentum eſſet excitatum. Verum intereunt ſtatuae, ut ait Cicero, tempeſtate, vi, vetuſtate; laudes autem virorum bene de republica meritorum poſteritati, quaſi per manus traditae, vix conſeneſcunt.

ADNOTATIONES.

(1) *De hoc opere haec habet Zenus in Epiſtola ad Lud. Muratorium*. Sarà una buona Raccolta di Autori Latini, che hanno ſcritte le coſe della noſtra Italia. Il primo tomo (poichè ſarà in molti diviſa) abbracccerà gli Storici particolari della Lombardia sì ſuperiore, come inferiore, a' quali porrò innanzi alcuna Cronaca univerſale, ſempre d' Autore Italiano. Del mio vi ſaranno prefazioni univerſali e particolari, annotazioni marginali, indici copioſi, ed appendici di ſtromenti autentici antichi, e di piſtole iſtoriche, che illuſtrino qualche fatto, non però mai ſtampate, oltre alle notizie di ciaſcuno Scrittore, e la contezza particolare del MS. e delle perſone che me ne avranno favorito. *Epiſt.* 34. *Vol. I. Ex hac Epiſtola, ſicuti ex* 22. *intelligi poterit, quae praeſertim ſcripta priori operis conficiendo volumini deſtinaverit Zenus*.

(2) Quanto alla mia Storia, ella non è tale, che abbia potuto prevenirla il Sig. Ab. Creſcimbeni con quella ſua pubblicata, e più volte da me riletta. In coteſta non v' è una vigeſima parte di ciò che ſi racchiuderà nella mia, ed il metodo n' è totalmente diverſo, come pure il diſegno. Io m' affatico di ſtendere le vite ex profeſſo colla notizia accurata delle lor opere, coll' idea del loro ſtile, e col giudizio, che in ogni tempo ne hanno dato i critici e i letterati. Abbraccerà due mila in circa Scrittori, principiando dal fine del Secolo XII. in cui la noſtra Poeſia

epiſt. 62. Deſidero comunicarle un mio diſegno affinè di averne il ſuo purgato giudizio. Ho poſte inſieme molte mie oſſervazioni su più di D. codici manoſcritti da me eſaminati. Vorrei pubblicarle di centuria in centuria, affinchè i volumi rieſcano maneggevoli; ed in fine d'ogni centuria penſo per dar più credito e più curioſità all' opera, metterci qualche opera inedita ora d'iſtoria ora di poeſia, ora d'altro, ſecondo che giudicherò più ſpediente. Mi dà alquanto di faſtidio il titolo. Aveva penſato di chiamarla la libreria manoſcritta, centuria prima, ſeconda ec. ma non mi trovo contento. Lo vorrei più eſpreſſivo, e però ricorro a chi più di me ha pratica e intelligenza. *Vidend. etiam Epiſt. 64*.

(8) La Galleria di Minerva (*ſic Zenus in epiſtola ad Antonium Franciſcum Marmium*) non ha più credito, ed è piuttoſto un guazzabuglio mal compoſto che una ben condita vivanda: diſguſta il palato e fa nauſea, comecchè di quando in quando vi entri qualche coſarella che ſolletichi il guſto. *Epiſt. 92*.

(9) *Epiſt. 183*.

(10) *Appellat Zenus* Equivoco d' apparenza *ſequens auctoritatem Jacobi Mazzonii*.

(11) *Haec Zenus ad Salvinum Salvinium epiſt. 316*. Il primo Tomo contiene le Deche del Sabellico. Io vi ho fatto una prefazione iſtorica Italiana, dove rendo conto di tutti gli Storici pubblici Veneziani sì impreſſi sì manoſcritti. Vi ho pure aggiunta una vita di M. A. Sabellico aſſai copioſa, ſcritta Latinamente, come meglio ho ſaputo, eſſendo molto tempo che in

tal lingua non mi eſercito punto. . . . Ho cercato inoltre di illuſtrare la cronologia confuſiſſima di detto Iſtorico col porvi gli anni nel margine, il che mi è coſtato non poca difficoltà e fatica. Lo ſteſſo ſi farà ſuſſeguentemente nel Bembo e negli altri.

(13) *In Epiſtola ad Petrum Cannetum*. Io parlo a lungo di queſto grande Scrittore (di Daniel Barbaro), il quale fu letteratiſſimo e amatore e protettore di tutti i letterati del tempo ſuo, nella mia opera de' Veneziani letterati, la quale non so ſe mai potrà uſcire alla luce; poichè come in eſſa intendo di teſſer non gli elogj, ma le vite de' ſoggetti dotti della mia patria, temo che la cenſura ſia per dar diſguſto a molti, e difficilmente mi ſi laſci correr la ſtampa di molti luoghi, che per altro ſarebbono il meglio del libro. *Epiſt* 190.

(13) Dovendo io traſferirmi al ſervizio di S. M. Ceſarea e Cattolica mi reſta in patria il peſo di mantener caſa, e di provvedere di quanto biſogna una madre vecchia ſettuagenaria e inſieme una ſorella già maritata, e un'altra uterina ancor nubile col reſtante della famiglia. Il loro mantenimento è ſtato finora mia induſtria. La patria mi ha dato carichi: lo ſtudio mi ha dati proventi. Io debbo colla partenza abbandonar tutto; ma ſempre mi riman l'obbligo del loro ſoſtentamento. Tener caſa in Venezia mi è di neceſſità sì per riguardo di chi vi dee rimanere, sì per dovervi laſciare, il che non mi dà picciolo affanno, ſeimila e più libri con ſommo ſtudio e diſpendio da me raccolti, che come ſono il mio mo-

bile più prezioſo, così anche ſono il mio oggetto più caro. *Epiſt.* 311.

(14) Io mi trovo, come vi diſſi afflittiſſimo. Il tempo, che giova a mitigar tutti i mali, nel mio caſo gli accreſce. Ho avanti gli occhi un peſſimo eſempio, perchè non molto lontano. Si fece ogni sforzo da chi preſiede per avere al ſuo ſervizio il Leibnizio, uno de' più dotti uomini della Germania, e forſe il più dotto che al ſuo tempo viveſſe. A grandi ſtenti fu conceduto dal Re di Pruſſia. Fu in Vienna, e ci ſtette più di due anni, e ne partì diſperato ſenz'aver ottenuta coſa alcuna di quanto gli era ſtato promeſſo. Quanto più lo ſapevan dotto, tanto più i miniſtri lo avevano ſoſpetto: ne avevano della ſtima, ma in tutto lo contrariavano. Se non aveſſe avuto del ſuo, ſarebbe morto di diſagio. Io che nulla ho del mio, che coſa dovrò ſperarne, e come ſoffrirne gl'incomodi della dilazione? Ho queſto ſolo vantaggio ſopra l'altro, cioè il ſaper meno di lui. *Epiſt.* 18. *Vol. II.*

(15) *Ex multis unam ſeligemus, in qua haec habet.* Non è poi capace una lettera di contenere le lodi del mio Monarca. Quel ſuo gran cuore ornato d'ogni virtù non ſi finiſce mai di conoſcere, nè conoſciuto mai ſi finiſce di ammirare e di amare. Un giorno gliene formerò un ritratto più ſomigliante, che io poſſa, ſenza timore che v'entri l'adulazione, dove la verità è sì evidente. Io ho l'onore d'eſſere bene ſpeſſo ai ſuoi piedi, e di godere da ſolo a ſolo le ore intere de' ſuoi ſaggj ragionamenti. Quì le dirò ſola-

mente, che in materia letteraria egli penetra a fondo; e la ſua memoria è così feconda, che più volte me ne ſono ſtupito, e fra l'altre ſovviemmi, che un giorno eſſendo entrati a diſcorrere della filoſofia degli Stoici, me ne eſpoſe i vantaggj e i difetti ſopra le altre Sette degli Etnici, recandone le prove colle preciſe parole di Epitetto e di Seneca, che ſtimai che di freſco aveſſe ſtudiato quegli autori eſpreſſamente, quando egli m' atteſtò eſſer più di 14. anni, che per mano non gli aveva preſi. Oltre alla ſua lingua naturale parla a perfezione la Latina, l' Italiana, la Franceſe, la Caſtigliana e la Catalana; e ſe il ſuo Impero goderà ferma pace, avranno in lui un Auguſto protettore le ſcienze e le buone arti. *Epiſt.* 236. *Vol. II.*

(16) *Epiſt.* 61. *Vol. II.*

(17) *Haec ſcripſit Zenus ad ipſum Caeſarem in epiſtola, qua ei dedicavit librum* delle Poeſie ſacre. E quanto ai drammi ben toſto m' avvidi, che alla gravità del voſtro coſtume e della dignità del voſtro carattere nulla era più diſadatto e contrario che il far comparire ſulle voſtre ſcene quel comico ed effemminato, che introdotto dall' abuſo dell' arte, e ſoſtenuto dalla ſcoſtumatezza del ſecolo, i perſonaggj o per grado più eminenti o per fama più celebri traviſava e sfigurava in maniera, che tutt' altro ſembravano che quali erano ſtati, e quai dovevano anche finti raſſomigliare. *Et paullo poſt*. Dovunque poi nel racconto della illuſtre vita (*illuſtrium Principum & Heroum*) m' abbattea ad oſſervare o maturità di conſiglio ne' dub-

bj affari, o magnanimità di perdono nelle offeſe ſofferte, o moderazione ne' tempi proſperi, o fortezza ne' caſi avverſi; dovunque io trovava memorabili eſempli o di coſtante amicizia, o di amor conjugale, o di man forte a ſollievo degli innocenti, o di cuor generoſo a riſtoro de' miſerabili; dovunque in fine mi ſi affacciavano atti di beneficenza, di fortezza, di temperanza o di altre virtù, tanto più commendate ne' Principi, quanto più neceſſarie, io tutto eſponendo e ingrandendo altresì ne' miei verſi, ne concepiva ogni volta un interno compiacimento, non per l' eccellenza dell' opera, ma per la raſſomiglianza del mio eſemplare, la quale sì viva e sì manifeſta appariva agli occhi voſtri, e a quelli de' nobili Spettatori, che tutti del pari ne godevano.

(18) E' opinione univerſale, che io nè abbia compoſto, nè poſſa comporne un migliore. L' Imperadore diſſe in pubblico, che sì fatte opere non ſi vedevano in Italia, perchè in Italia non v' era un altro Apoſtolo Zeno, che ſapeſſe comporne; preciſe parole di lui, che jeri appunto, giorno di gala per eſſer l' anniverſario dell' Auguſtiſſima, me ne diede inſieme con eſſa lode particolare. *Epiſt.* 33. *Vol. II.*

(19) La poeſia non è ſtata ſin ora la mia continua occupazione. Molte Diſſertazioni iſtoriche e filologiche mi è biſognato di ſtendere per ubbidire a chi deggio: queſte reſtano ſepolte, e naſcoſe all' altrui ſguardo e cenſura.

(20) Io non credo d' eſſere ſtato amato tanto da alcun mio amico, quanto da Carlo: *Refert haec Ze-*

ni verba Valſechius in ejus panegyrica oratione p. 40.

(21) Io ſcorgeva in que' drammi la neceſſità di ritoccarli ſeriamente, dove nè la fretta, con cui dovetti idearli e comporli, nè il riguardo del luogo, e degli attori deſtinati a rappreſentarli, mi aveano dato tempo, e laſciato modo di liberarli da quelle imperfezioni, che per entro manifeſtamente, e a mente riposata vi ravviſava . . . Se f ſſe ſtato poſſibile levarli affatto dal mondo o dalla memoria degli uomini, l' avrei fatto aſſai più volentieri, anzi che vederli con queſta nuova edizione riprodotti, e in certo modo rinati. Il degniſſimo Sig. Co. Gaſpero Gozzi ha vinte in parte le mie ripugnanze con eſibirmi la ſua aſſiſtenza e la ſua correzione in que' luoghi, dove più manifeſtamente ne aveſſe ſcorto il biſogno, dimoſtrandomi che è aſſai minor male il rimetterli in viſta col loro primiero abito e aſpetto, che laſciarli nella difforme ſconciatura, con cui l' altrui petulanza e ſciocchezza aveagli guaſti e diſſigurati, con pericolo, che un giorno dopo la mia morte veniſſero in così ſconcio arneſe, e informe ſembianza raccolti e divulgati. *Epiſt.* 262. *Tom. III. Et alibi, id eſt in epiſt.* 52. *ejuſdem vol. haec habet*. Delle mie coſe drammatiche io fo preſentemente sì poco conto, che anzi che nudrirne compiacimento di averle ſcritte, ne ho pentimento e diſprezzo; talchè a chi ſi poneſſe a criticarle e a dirne male, io quaſi ne avrei più obbligazione, che a chi ne prendeſſe la difeſa, e ne diceſſe ogni bene. Trattone alcune poche, io le conſidero ſconciature ed aborti; ed in queſto numero io metto

ancora l' Eumone, benchè queſto Dramma ſia ſtato fortunatiſſimo ſopra le ſcene, e recitato in quaſi tutti i teatri dell' Italia.

(22) *Vid. Epiſt. 276. vol. II. & notas* all' Eloquenza Italiana del Fontanini *p. 489. vol. II. Inter caetera haec ſcripſit Zenus eadem in epiſtola*. Per quanto io condanni i Drammi muſicali, come tragedie irregolari, non poſſo riſolvermi a dirli col Sig. Muratori moſtri ed unioni di mille inveriſimili .... Alcuni di queſti (*inveriſimili*) provengono dalla neceſſità e natura del componimento, come il dover cantarſi da capo a piedi le ariette muſicali, le tante mutazioni di ſcena, ai quali e ſimili inconvenienti non è poſſibile che ſi dia riparo. Altri poi derivano dalla poco avvertenza del Poeta, che non conſerva l' unità dell' azione, non la conformità dei caratteri, non il decoro della ſcena tragica, non il buon coſtume a purgazione degli affetti, non il muovimento di queſti a compaſſione o a terrore, non le convenienze di un viluppo o di uno ſcioglimento alle buone regole accomodato. Queſti mali ſi poſſono e ſi debbono levar dal teatro muſicale. *Et infra*. Più di tenerezza nudriſco per li miei Oratorj, ove conſervo l' unità del luogo, dell' azione, e del tempo, e la nobiltà de' caratteri, e la proprietà degli affetti; talchè potrei ridurli a buone tragedie, ſe gli ſtendeſſi con più verſi, e li rendeſſi liberi dalla neceſſità della muſica.

(23) Deſidera VS. Illuſtriſſima da me un giudizio dell' opere drammatiche del mio Anteceſſore Sig. Apoſtolo Zeno, quaſi che non baſtaſſe il ſuo proprio

aſſai più ſicuro di quello di chi obbligato a calcar l' iſteſſa carriera è ſoggetto anche ſenza avvederſene a laſciarſi ſedurre dalla pur troppo comune viziosa emulazione, per la quale *figulus figulo* ben rade volte è favorevole. Io poco ſicuro di me ſteſſo nel ſaper conſervar il dovuto mezzo fra l' invidia e l' affettazione evito il minuto eſame delle opere ſuddette: ma non poſſo però tacere, che quando mancaſſe ancora al Sig. Apoſtolo Zeno ogni altro pregio poetico, quello di aver dimoſtrato con felice ſucceſſo, che il noſtro melodramma e la ragione non ſono enti incompatibili (come con tolleranza, anzi con applauſo del pubblico parea che credeſſero quei Poeti, ch' egli trovò in poſſeſſo del teatro, quando incominciò a ſcrivere) quello dico di non eſſerſi reputato eſente dalle leggi del veriſimile; quello di eſſerſi difeſo dalla contagione del pazzo e turgido ſtile allor dominante, e quello finalmente d' aver liberato il coturno dalla comica ſcurrilità del ſocco, colla quale era in quel tempo miſeramente confuſo, ſono meriti ben ſufficienti per eſigere la noſtra gratitudine e la ſtima della poſterità.

(24) *Unum e multis ſeligemus, quod eſt in principio libri II. ubi ait:* che del Zeno non ebbe la patria nè raccoglitore più diligente, nè conoſcitore più accorto di tutto ciò che in qualſivoglia modo le appartenga.

(25) *Haec ſcripſit Zenus ad Hannibalem Olivierium in epiſt. dat. XIV. Kal. Janu.* 1739. E' uſcito i giorni paſſati un 39. Tom. del Giornale d' Italia. Tre

ſono gli autori di eſſo, ma il principale ſi è il il Sig. Stellio Maſtracà di Corfù in compagnia d' un ſuo, credo, compatriotta Niccolò Caramondani, e di altro giovane per nome Lodovico Mallet. Eglino profeſſano di non volere nè lodare, nè cenſurare chi che ſia, ma ſemplicemente e ſinceramente riferire le opere uſcite in Italia dopo il 1734. in cui terminò l' altro Giornale per la morte del fu mio amatiſſimo fratello. *Epiſt.* 155. *Vol. III.*

(26) *Epiſt.* 7. *Vol. III.*

(27) *Vid. ejus notas* all' Eloquenza Italiana del Font. *Vol. I. p.* 14. & *Vol. II. p.* 201. 202.

(28) In materia di ſpiegazione di medaglie antiche e monete, non ho mai avuto coraggio di entrare in campo pubblicamente; e da ſolo a ſolo con qualche padrone ed amico ne ho tenuti famigliari diſcorſi, e confidatone, qualunque ei ſi foſſe, il mio ſentimento. Alle conghietture in particolare, per quanto ſieno o pajano plauſibili, ſon ſolito preſtar poca fede; e dove chiara ed evidente non trovo la coſa, procedo con diffidenza e riſerva, e fo come coloro, che camminano e ballano ſopra la corda, i quali barcollando ſi piegano or ſull' una parte, or ſull' altra in atto o in pericolo di vicina caduta. Da tali promeſſe, che ſinceramente le ſpongo, ella di già comprende l' animo mio intorno alla pubblicazione della lettera, che l' anno addietro le ſcriſſi ſopra la conſaputa moneta. Siccome la ſpoſizione, che gliene feci, è tutta ſu conghietture, così non ſaprei approvare, che ſi rendeſſe pubblico l' ardire, con cui

le ho ſteſſe. La prego per tanto di riſpiarmiarmi queſto diſpiacere, e queſta prima comparſa, in cui mi eſporrei, di novello antiquario. *Epiſt.* 226. *Vol. III.*

(29) *E multis commemorandos eſſe putamus Joannem Albertum Fabricium, qui ſaepe ſuis in Bibliothecis citat Zeni Diſſertationes, & praeſertim in ea quae eſt mediae* & infimae Latinitatis, *Scipionem Maffejum, Ludovicum Muratorium, Bernardum de Rubeis, Jo. Mariam Mazzuchellium, Marcum Foſcarenium, & Angelum Mariam Card. Quirinium, cujus judicium prolatum in Diatriba de Epiſtolis Franciſci Barbari haud exſcribere pigebit. Ait enim*: Inter hoſce (*eruditos viros*) grati animi ſenſus quam maxime profiteor V. Cl. Apoſtolo Zeno, quem, ubi nodus vindice dignus incideret, quoties conſului, toties ſummam in eo humanitatem, inexhauſtam rerum copiam, exquiſitam criterii perſpicaciam incredibili cum admiratione perſenſi: praeter quam quod quae ipſe collegit & obſervavit de Franciſco Barbaro Tom. XVIII Ephem. Erud. Ital. adeo ſolida, adeo exacta deprehendi, ut ab his vix, aut ne vix quidem mihi in hoc opere contigerit vel latum unguem diſcedere.

(30) *Valſechii Oratio p.* 61.

(31) Ricercato del mio parere da amici, lodo quando mi piacciono (*i componimenti*) e quando no, o nulla ne dico, o lo dico con tal cautela e riſpetto, che non dò luogo all' offeſa, e me ne rimangon con obbligo, non altercando ſe trovo reſiſtenza, e non vantandomene ſe incontro docilità. *Ep.* 38. *Tom. III.*

(32) *Haec in tumulo inſcripta fuere*. Apoſtolo Zeno Civi Veneto Imp. Caroli VI. Auguſti & Thereſiae F. Auguſtae Hiſtorico & Poetae religione morum ſuavitate eruditione multiplici praeſtantiſſimo Fratres Praedicatores benemerenti P. Anno MDCCL.

OPERA EDITA

L' Incendio Veneto. Venezia 1686.

La Reſa di Modone 1687. *ibid.*

La Conquiſta di Navarino 1689. ib.

Vite del Triſſino e del Guarini. Extant *nella Galleria di Minerva*. T. I.

Lettera al Sig. Aſtorri intorno ai Cardinali Veneziani.

Del Mappamondo Iſtorico Tom. V., in cui ſi contengono i Regni Settentrionali, cioè d' Inghilterra, di Scozia, di Svezia dal loro cominciamento ſino all' anno 1699. *Parte I. Continuazione dell' Opera del P. Antonio Foreſti della Compagnia di Gesù. In Venezia ed in Parma per Giuſeppe dell' Oglio* 1709. *in* 4. *Tom. V. part. II. che contiene le vite de' Re di Svezia dal cominciamento della Monarchia ſino all' anno* 1702. *Tom. V. part. III. che contiene le vite de' Re di Danimarca e Norvegia dal cominciamento della Monarchia fino all' anno* 1705. *Part. IV. che abbraccia le vite de' Re di Danimarca e Norvegia dall' anno* 1448. *per ſino all' anno* 1705. *come pure le Storie del Ducato di Holſtein, e quelle del Ducato di Geldria*.

Digitized by Google

il Loviſa. Vol. I. habet praefationem & vitam Marci Antonii Sabellici a Zeno conſcriptas. II. ejuſdem copioſas notas in vitam Bembi. III. vitam Pauli Parutae.

Vita di Enrico Caterino d' Avila premeſſa alla Storia del medeſimo delle guerre civili di Francia, pubblicata in Venezia per Franceſco Hertzauſer 1733. *in foglio*.

Note alla vita di Franceſco Guicciardini ſcritta da Domenico Maria Manni. Editae obſervationes & vita fuere cum hiſtoria Guicciardinii, Venetiis 1738. in fol.

Notizie Letterarie intorno ai celebri Stampatori Manuzi premeſſe alla riſtampa delle lettere familiari di Cicerone, volgarizzate da Autore anonimo, e corrette dal giovine Aldo. Venezia per Franceſco Piacentini 1736.

Poeſie Drammatiche di Apoſtolo Zeno già Poeta e Iſtorico di Carlo VI. Imperatore, e ora della S. R. Maeſtà di Maria Tereſa Regina d' Ungheria e di Boemia, Tom. X. Venezia 1744. *preſſo Gio. Batiſta Paſquali*. En omnium dramatum nomen eo ordine, quo typis impreſſa ſunt. In Vol. I. *Ifigenia in Aulide, Merope, Cajo Fabbrizio, Lucio Papirio, Atenaide, Temiſtocle*: in Vol. II. *Andromaca, i due Dittatori, Gianguir, Ornoſpade, Semiramide in Aſcalona*: in Vol. III. *Griſelda, Lucio Vero, Enone, Nitocri, Meride, e Selinunte*: in Vol. IV. *Ormiſda, Scipione nelle Spagne, Engelberta, Imeneo, Teuzzone*: in Vol. V. *Venceslao, Mitridate, Euriſteo, i Rivali Generoſi, Eumene*: in Vol. VI. *Faramondo, l' Amor Ge-*

neroſo, *Sirita*, *Aleſſandro Severo*, *Aminta*: in Vol. VII. *Gl' Inganni felici*, *la Svanvita*, *Pirro*, *il Nar-ciſo*, *Pſiche Serenata per muſica*: in Vol. VIII. Extant *le azioni ſacre*. Horum vero dramatum, quae ſeparatim impreſſa antea fuerant, nomina ſunt: *Siſara*, *Tobia*, *Naamam*, *Giuſeppe*, *David*, *le Profezie Evangeliche d' Iſaia*, *Gioaz*, *il Batiſta*, *Gionata*, *Nabot*, *Daniello*, *David umiliato*, *Sedecia*, *la Geruſalemme convertita*, *S. Pietro in Ceſarea*, *Gesù preſentato nel Tempio*, *Ezechia*: in Vol. IX. X. extant dramáta, quae Zenus conjuncta opera cum Petro Pariáto, ipſo quoque Poeta Caeſareo, fecit. Haec ſunt. *Ambleto*, *Coſtantino*, *Seſoſtri*, *Aleſſandro in Sidone*, *D. Chiſciotte in Corte della Ducheſſa*. Et haec in Vol. IX.: in X. vero extant *Aſtarto*, *Artaſerſe*, *Statira*, *Antioco*, *Flavio*, *Anicio Olibrio*.

Sonetti II. Extant inter carminá Zappii aliiſque in collectionibus poeticis.

Canzone. Vid. la perfetta Poeſia del Muratori.

Diſſertazioni Voſſiane di Apoſtolo Zeno, cioè giunte ed oſſervazioni intorno agli Iſtorici Italiani, che hanno ſcritto Latinamente, rammentati dal Voſſio nel Lib. III. de Hiſtoricis Latinis. Tom. II. *In Venezia* 1752. *per Giambatiſta Albrizzi ec. in* 4.

Biblioteca dell' Eloquenza Italiana di Monſig. Giuſto Fontanini Arciveſcovo d' Ancira colle annotazioni del Sig. Apoſtolo Zeno Iſtorico e Poeta Ceſareo e Cittadino Veneziano. Tom. II. *Venezia* 1753. *preſſo Giambatiſta Paſquali in* 4.

Lettere di Apoſtolo Zeno Cittadino Veneziano, Iſto-

rico e Poeta Ceſareo , nelle quali ſi contengono molte notizie attenenti all' Iſtoria Letteraria de' ſuoi tempi , e ſi ragiona di libri , d' iſcrizioni , di medaglie , e d' ogni genere d' erudita antichità . Vol. III. in Venezia appreſſo Pietro Valvaſenſe in 8. In volumine I. extat Zeni epiſtola ad Joannem Joſephum Urſium adverſus Dominicum Bouhourſium , quae antea ab ipſo Urſio cum aliis hujuſmodi ſcriptis impreſſa fuerat .

Giornale de' Letterati d' Italia Vol. XXXVIII. Nemo nos accuſabit , quod hujuſmodi operis gloriam Zeno conceſſerimus . Quanquam enim multi illius participes fuerunt , laus tamen praecipua eidem debetur , quod illo auctore idem opus ſuſceptum fuerit , illo duce continuatum , illo adjutore perfectum , in iis praeſertim quae ad ſcribendi elegantiam pertinent ; quodque demum auctum ornatumque fuerit ob plurima ab ipſo ſuppeditata ſcripta cedro ſane digniſſima . Ex his commemorandam hoc loco putamus (neque enim alibi illius mentionem fecimus) Diſſertationem adverſus Guidonem Grandium *intorno al Doge Pier Orſeolo* . Extat haec in Volumine IX. pag. 361.

Benedictus Marcellus. *

I. AUguſtinus Marcellus vetuſtiſſima ortus familia, quippe quae in iis Venetae civitatis numeratur, quae ad foedus Foſſae Clodiae ſanciendum convenerunt, Pacellam Capellam, lectiſſimam feminam pari nobilitate, habuit in matrimonio, ex qua tres filios, Alexandrum, Hieronymum & Benedictum procreavit. Horum natu minor Benedictus, qui muſicae princeps appellatus eſt, annis a Chriſti adventu MDCLXXX. Venetiis IX. Kal. Sextiles ortum duxit. Patre, quo diximus, uſus eſt dili-

* Scripſit hanc vitam Franciſcus Fontana Clericus Regularis, ut ajunt, S. Paulli, invitante maxime Juvenali Sacco collega illius, qui & monumenta plura ſuppeditavit ad eamdem conficiendam. Recepi Auctori me ipſam editurum cum meis, in quo quidem libero fidem libentiſſime propter ſcripti elegantiam rerumque copiam. Supprimenda vero putavi quae pluribus verbis de me ſcripſit Auctor humaniſſimus in praefatione ejuſdem vitae, ne videar ea velle mihi arrogare, quae in me omnino deeſſe ſentio.

gente ac religioſo, cui nihil erat potius, quam ut humanitatem omnem, in primiſque pietatem, quae fons eſt bonorum omnium & caput, filii a pueritia animo imbiberent. Ex quo factum eſt, ut eorum quiſque & vivens optime audiret, & praeclaram ſui famam poſt mortem reliquerit. Idem, quae ipſe amabat ſtudia, praeſertim linguae Italicae & muſicae, ad ea liberos maturius impellere ſatagebat. Itaque nullum eos intermittere patiebatur diem, quin aliquot Etruſcos verſus facerent; quos legebat ipſe, & quod in iis peccatum eſſet, notabat. Siquid ab ſe impetrare vellent, petere verſibus debebant; ſine verſibus fruſtra petiiſſent. Neque paternam diligentiam filiorum ſefellit induſtria; namque adeo uſu quotidiano & exercitatione profecerunt, ut in claros ſinguli poetas evaſerint. Praeterea ut ſtilum, qui optimus eſt ſcribendi magiſter, ſoluta numeris oratione exercerent atque acuerent, quas ipſe ad amicos daturus erat litteras id genus, quae officioſae vocantur, iis ſcribendas dabat: & quidquid hoc erat laboris & moleſtiae, quo li-

bentius ferrent, praemii loco nummos eis numerare conſuerat. Qua de re dubito, quemadmodum judicem; quamvis enim optime patris conſilium ex ſententia ceſſerit, non tamen auſim imitationem facti proponere. Munuſcula enim, ſi ſaepius fiant, atque ex pecunia conſtent, videntur in teneris puerorum animis quaeſtus cupiditatem potius alere atque augere poſſe, quam corroborare virtutem.

II. Tali modo diligens pater ſobolem inſtituebat ſuam, atque ad laborem exercendo firmabat. Cum vero ipſe, ut erat acri judicio, egregiam quamdam & praeclaram indolem ad muſicen ineſſe Benedicto intelligeret, exquiſitum illius artis magiſtrum aeque ei conduxit, ac filiis natu majoribus. Nihilo tamen magis hanc artem excolebat puer, cui etiam id ſtudii, ſi quid aliud, erat moleſtiſſimum. Cum quadam die in theatro una cum patre comoediae cuperet intereſſe, idque pater animadvertiſſet, hanc ei veniam ſe daturum oſtendit, ſi modo *fidicula* (liceat hoc nomine appellare inſtrumentum muſicum antiquitati ignotum,

quod Itali vocant *violino)* canere per certum temporis ſpatium non detractaret. Reſpuit conditionem filius; neque domi non maluit manere, ratus majori ſibi moleſtiae fore fidiculae ſonitum, quam comoediae ſpectaculum voluptati. Quod ſane mirabile lectori viſum iri non dubito; nam qui poterat ex ea re Benedictus non magnam capere voluptatem, ad quam rem eum plane natura formaverat? Sic enim fere accidere videmus, ut quae ſtudia facilius perfectiusque naturali quodam bono aſſequimur, ad ea libentius cupidiuſque feramur. At Benedictus ad muſicae, ut ajunt, *vocalis*, quae ſcilicet hominum vocibus conſtat, excellentiam natus erat; ex quo intelligi poteſt, quid cauſſae eſſet, cur ſymphoniae *organicae* ſenſu atque anima, ut ita dicam, carentes nequaquam ei facerent ſatis. Pater non eo contentus, quod filius theatro caruerit, poſtridie ejus diei illi praecepit, ut tres horas continenter coram ſe fidicula luderet, tali modo exiſtimans, ſi minus vinci poſſet, at certe puniri ejus duritiem oportere.

Digitized by Google

III. Ad extremum, quod paternae exhortationes & pene quotidianae querelae minime impetrarunt, id a Benedicto elicuit pudor. Unus ex duobus fratribus cum ſatis ſcienter fidicula ceciniſſet coram primaria quadam femina, atque haec ex eo quaereret, num Benedictus, qui aderat, in eo genere aliquid poſſet, ille reſpondit, *nihil ſcilicet, niſi forte mihi fidiculae capſulam circumferre*. Hoc dictum generoſum Benedicti animum pupugit, quippe qui magnam ſibi injuriam inuri ſentiebat. Noverat enim vires ſuas, ſibique perſuadebat brevi futurum, ſi vellet, ut fratrem, cui par modo non erat, longo intervallo antecederet. In praeſentia tamen diſſimulandum dolorem ſuum exiſtimavit, ſibique contendendum, ut re potius, quam inanibus verbis impoſitam ſibi injuriam propelleret; itaque fecit. Omni abjecta cunctatione, ad ſtudia ſe totum retulit cum poeſeos tum praeſertim muſicae, & eo quidem ardore mentis, eaque aſſiduitate & perſeverantia in propoſito permanſit, ut poſt hominum memoriam exemplum fortaſſe aliud ſuppetat nullum. Namque ab

anno ſeptimo & decimo, quem tum vix expleverat, uſque ad viceſimum aetatis ſuae nunquam domo pedem extulit, triennium ſcilicet. Ibi vero ita ſe tenuit cum ab oculis & hominum conſpectu, tum ab omni occupatione remotum, ut horas amplius decem quotidie ſtudio impenderet. Feſtis diebus ne egredi cogeretur, avito uſus privilegio, in domo ſua divinis intererat miſteriis. Etenim illi ſtabat non prius e ſolitudine in publicum prodire, quam ſibi ejus artis perfectionem videretur conſecutus. Qui tantus labor atque conſtantia, ſi quibus forte incredibilis videatur, praeſertim in adoleſcente tali genere orto, hi erunt fere, qui indolem moreſque minime didicerunt Venetorum Optimatum. Hi enim etiam ſi in maximis & infinitis occupationibus urbis & vitae verſentur, labore tamen minime franguntur, ut ne eum quidem percipere videantur. In eis vero ſiqui ad laborem adjungere ludos & ſolatia volunt, adeo exiguum tempus ad quietem relinquunt, ut pene in animum inducas eos dormire nunquam.

IV. Cum tanta facta eſſet filii commutatio, non attinet dicere, quantopere exſultaret pater. At re longius progreſſa, vereri coepit, ne quid ex diutina animi contentione detrimenti caperet ejus valetudo, atque eum ultro monere, ut ſe remitteret. Id ut facilius obtineret, rus illum ſecum adduxit, ibique ſex menſes retinuit. Atque ut is muſicas notas oblivifci, atque adeo ſibi parcere cogeretùr, famulis vetuit, ne chartam, quae in re muſica uſui foret, quiſquam emeret, iiſdemque dat negotium, uti ejus arculas, abacos, ſcrinia diligenter explorent, ne quid, quod ad artem pertineret, illi eſſet reliquum. Patris tamen curas eluſit filius. Namque ipſe manu ſua detentam chartam lineis, more muſicorum diſtinxit, atque rei divinae preces a muſicis cantari ſolitas, *Miſſam* ſcilicet, ut ajunt, ad harmoniam belle redegit. Elucubrationem hanc ut vidit pater, ejus perfectionem admiratus, intellexit impetum illum, quo ad muſicam abripiebatur filius, non poſſe amplius reprimi, neque fortaſſe oportere. Ita ſpe dejectus illi tandem indulſit, ut pro arbitratu ſuo mu-

ſicae ſe ſe traderet. Sic memoriae proditum eſt, tum demum Torquatum Taſſum perviciſſe, ut ſibi per Bernardum patrem unice poeticen curare liceret, cum hic *Rainaldum* ejus poema lectitavit. Sub illud tempus Auguſtinus deceſſit. Benedictus, ut ſui juris fuit, Florentiam evolavit non propter urbis modo eximiam pulchritudinem, ſed maxime ob Italici ſermonis elegantiam, quem ipſe adamabat plurimum, quoque prae reliquis Italis Florentini utuntur commodiſſime. Eo cauſſae accedebant aliae; nimirum & Mediceorum Principum ſplendor & pulcherrimarum artium, quae tum maxime ibi florebant, ſtudia & eruditorum hominum frequentia, quibus illa ſemper civitas abundavit. Ex quo quanta ipſe flagraret cupiditate diſcendi, cuivis facile intellectu fuit.

V. Florebat per id tempus Venetiis quidam nobilium conventus, in quo ſtatis diebus ſonorum atque cantuum exercitationi vacabant. Hunc, ubi in patriam rediit, Benedictus frequentare coepit; neque vero non ſtatim in ea arte eminuit, cujus ei principatus ſervabatur, ſic ut nemo ei anteſer-

retur, pauci pares ponerentur. Muſicae elucubrationis nomen vulgo rem ſonat minimi pretii atque negotii; doctis hominibus non item; qui ſcilicet non habent ſatis, muſicen voluptate permulcere ac veluti titillare aures, niſi eadem & judicio intelligenti ſatisfaciat, & quod caput eſt, in animos audientium affectuſque dominetur. Quae ſane res difficillima factu eſt, & plurima non naturae modo, ſed doctrinae etiam ſubſidia requirit. Hinc factum eſt, ut pauciores, mea quidem ſententia, praeſtantes muſici, qui ſcilicet artis vim explicarent ad hoc uſque tempus reperti ſint, quam vel poetae, vel fortaſſe etiam oratores, etiamſi in horum numero ex omni memoria aetatum, temporum, civitatum, rari adeo ponantur. In Marcello cum natura quadam eximia, quam nactus eſt ad muſicen, ut antea dictum eſt, ita ars atque fortuna conſpiravit, ut ſi ipſe fingere vellet, neque plura bona reminiſci, neque majora poſſet conſequi in eo genere, quam ſibi obvenerint. Primum illud munus fortunae, quod ejus adoleſcentia in aetatem illam inciderit, qua muſica *vocalis* (quod ge-

nus eſt hujus artis multo praeſtantiſſimum). per duo ſaecula ſummis ingeniis, maximis ſtudiis exculta, eo jam perducta erat, ut propius a perfectione abeſſet; nihilque forſitan deſideraretur aliud, quam ut unus aliquis tanta prudentia exiſteret, qui mira eorum pigmentorum, quae inventa jampridem erant, varietate appoſite uteretur. Neque minus in fortunae donis ponendum eſt, quod is in ea potiſſimum urbe naſceretur, quae tum cantoribus, tum muſicis ſcriptoribus ceterarum Italiae civitatum maxime affluebat. Nempe ab antiquis uſque temporibus a Zarlino ſcilicet ad hanc diem in Divi Marci unus e celebrioribus electus eſt ſemper, qui muſicorum choro praeeſſet, idque muneris ſumma cum laude ante non multo functus erat Claudius Monsviridis Cremonenſis harmoniae ſcientia, affectibuſque animi exprimendis plane ſingularis; quo neſcio an aliud majus lumen Inſubrum ſchola unquam ediderit. Sunt praeterea Venetiis βρεφοτροφεῖα quatuor hoſpitia ſcilicet, ubi egenae virgines publice aluntur. In his cum artes omnes traduntur, quae feminas id aetatis,

& conditionis decent, tum vel maxime excolitur muſice. De cujus laudis praeſtantia, cum magna inter eas, ut fit, aemulatio intercedat, haec ſuppeditat civibus, ubi pia ac liberali admodum oblectatione & animus ex forenſi ſtrepitu, & aures convicio defeſſae recreentur. Ex his autem hoſpitiis unum eſt, quod Sanctum Lazarum appellant. Ibi muſicen eo docebat tempore Franciſcus Gaſparinius, vir artis ſuae multo peritiſſimus, quem potiſſimum magiſtrum habuit Marcellus, atque ita ſemper coluit, vel cum maxime fama atque dignitatibus floreret, ut & conveniret eum ſaepius, & omnium, quae in vulgus edidit, ſcriptorum ſuorum cenſorem adhibuerit. Neque vero minus Gaſparinius colebat Marcellum, magnique faciebat. Nempe ſic plerumque evenit, ut magiſtri diſcipulique ingenio eximio praediti agnoſcant ſe ſe invicem, & omni, quoad vivunt, officio ac potius pietate proſequantur. Neque hoc loco praeteream in eadem civitate magnam anni partem theatra patere ad ſeptem, in quibus audire eſt quidquid pulcherrimarum lucubrationum, aut

praeſtantium cantorum unaquaeque tulerit aetas. Qui autem illa tempeſtate florebant ſcenici muſici artificesſque, in id curas ſuas converterant ad unum omnes, ut affectibus repraeſentandis permovendiſque animis eam artem adhiberent, in quo genere tantum effecerunt, ut eorum adhuc pervulgata ſint nomina. Quod mirabile omnino videri debet, illo ipſo ſcilicet tempore ſimplicem quamdam ac naturalem elegantiam & vim muſices eſſe conſectatos; quo tempore plerique poetarum ab optima natura foede deſciverant, & corrupto prorſus fucatoque ſcribendi genere delectabantur. Poſtremo Venetiis id quoque ex uſu eſt muſicae ſtudioſis, quod ejus civitatis forum maximum, quo cives advenaeque animi cauſſa deambulatum confluunt, quodque totius orbis terrarum pulcherrimum facile ponitur, pulchris ſemper fere *cantiunculis* undique perſonet; quas quidem tanta elegantia modulantur Venetae mulieres propter & delicatiſſimum, quo pollent, aurium ſenſum & nativas quasdam veneres maternae linguae, ut etſi infimi generis ſint & prope inexper-

rum una de ſonorum muſicorum natura diſſerit; altera de variis ſyſtematis; tertia de ſingulis chordis, ſive, ut ajunt, *conſonantiis*, deque earum tractatione. Vel ipſa *epigraphe* ſeu ſententia, quam initio operis inſcripſit, Auctoris philoſophicum ingenium & doctrinam declarat, quippe cum ea ſit Platonis: *nemo geometriae ignarus ingrediatur*. Tanta autem eruditionis copia, eo ordine exemplorumque delectu totum opus commendatur, ut prodigii ſimile videri debeat ab adoleſcente eſſe profectum. Atque eo magis dolendum eſt illud in manibus hominum nondum verſari; quod ſi ex abdito bibliothecarum in lucem erueretur, ingens profecto librorum muſicorum copia, qua laborare coepimus, acceſſione non inani cumularetur. Cum vero ars nulla ſit muſicae arctioribus vinculis conjuncta, quam poeſis, in hac quoque plurimum ſtudii Marcellus conſumebat, eamque brevi adeptus eſt condendi carminis facultatem & famam, ut Arcades, quorum coetus in illis primordiis florebat maxime, eum plane dignum judicarent, quicum ſocietatem inirent adverſus

ſaeculi barbariem, ad quam profligandam eorum potiſſimum ſtudia ſpectabant. Itaque in eorum numerum omnium plauſu relatus eſt, inditumque ei nomen fuit Diantis Sacraei.

VII. Quamvis autem Benedictus muſicae & poeſeos cupiditate ita incenſus ferebatur, ut aegre ab earum gremio ſe avelli ſineret, non ita tamen ſibi indulſit, ut a majorum ſuorum veſtigiis excederet, atque ſe a negotiis publicis removeret. Intra annum aetatis ſuae viceſimum primum in foro eſſe, atque cauſſas defenſitare coepit. Quod ſane munus Venetiis non mediocris eſſe negotii atque ingenii, conſtat inter omnes, qui plane mores ejus civitatis non ignorant; perinde enim ibi in foro curiaque dominatur ad hoc uſque tempus eloquentia, ac olim dominatam eſſe legimus in Romana republica. Idem cum annos ageret quinque & viginti, togam virilem ſumpſit. Ex quo tempore in judiciis & magiſtratibus verſatus eſt, idque ſemper e republica: quinquennio poſt in quadraginta virales magiſtratus ingreſſus eſt; quem quidem curſum circiter quatuor & decem annos ſic tenuit, ut ſingularis con-

tinentiae, fidei, prudentiae, aequitatis laudem tulerit. Deinde Polam annonae publicae curator, ſive, ut ajunt, *Proviſor* mittitur, cujus caeli adſpiratio humida atque inſalubris gravi adeo ipſum morbo affecit dentium, ut ejus ex ore magna ex parte ceciderint. Uſus excuſatione valetudinis, in patriam remigravit, eique operam ſuam navare non deſtitit, quoad anno poſt Chriſtum ortum MDCCXXXVIII. Brixiae Quaeſtor renunciatus eſt, quem magiſtratum ſane perhonorificum *Camerlengum* Veneti appellant. Eo profectus, brevi tempore propter ſummam ejus & humanitatem & doctrinam, in primiſque propter eximiam opinionem virtutis, ita unus inter omnes nobiliſſimae illi civitati probatus fuit, ita in oculis omnium eſſe coepit, ut difficile eſſet intellectu, utrum eum magis vererentur an amarent. At qua in urbe libentius morabatur, quam uſquam gentium, ibi (qui repentini ſunt caſus humanae vitae) mors eum nondum matura intercepit non ſine magno rei litterariae detrimento, quae ex admirabili ingenio tanti viri, qui nunquam ceſſare

ad extremum ſpiritum viſus eſt, pulcherrimos ſibi fructus amplius pollicebatur, ſi modo longior ei vita ſuppeditaſſet. Nihilo tamen ſecius monumentorum ingenii ſui, quae ſcriptis commendavit Marcellus, longe major eſt numerus, quam ut ab homine minime otioſo, nec dum exacta aetate defuncto, exſpectari poſſe videretur. Haec ſunt partim muſica, alia fere ad uſum artis muſicae. Ad haec pertinent, ut a poſterioribus exordiamur, aliquot ejus fabulae tribus conſtantes actibus, quas, ut vulgus, nos dramata appellabimus, communi fabulis dramaticis vocabulo. Vix dum primum & viceſimum annum attigerat, cum ad genus hoc ſcriptionis venit; quo anno illud editum eſſe conſtat, cui nomen eſt: *La Fede Riconoſciuta*. Reliquis id genus poematis recenſendis, quae non ſolum in ſcenam multis in locis, ſed etiam in lucem typis commiſſa prodierunt, in praeſentia ſuperſedemus, ad majora potioraque properantes.

VIII. Nam cum ſingula Benedicti poemata operae pretium eſt legere, tum illa vel maxime

maxime lectu ſunt digniſſima, quae vulgus appellat *Cantate*, nos *Mele* appellemus licet. Species haec eſt lyricae poeſos omnino veteribus incognita, quae maxime eſt apta cantui, unde nomen accepit, quaeque ſaeculo decimo ſeptimo impolita & plane rudis apud Italos exorta, noſtro hoc ineunte, per id ſcilicet tempus, quo florebat Marcellus, jam ad ſummum perfectionis evenerat. *Melos* plerumque diſpertitur in partes quatuor. Harum duae verſibus *hendecaſyllabis* conſtant, aliquot tamen *heptaſyllabis* apte interjectis, quae duo ſunt penes nos carminum genera maxime illuſtria; id autem eſt quod Itali dicunt *recitativo*, ipſe Latine *narrationem* dicam, ſiquidem illa adhibenda eſt muſicis in eo moderatio vocis & cantus, quae ad narrantis aut declamantis pronuntiationem propius accedat. Duae partes reliquae vocantur *arie*; poſſunt autem Latine *cantiunculae* nuncupari. Hae breviores ſibi verſus adſciſcunt, atque adeo, ſi proceriora modo carmina excipias, reliquis dant locum metris numeroſiſſimis, quorum una omnium ditiſſima eſt Etruſcorum lingua. Hoc igitur

poematis eſt ejuſmodi, quo, ut dixi, ad cantum, cujus cauſſa inventa res eſt, reperiri nihil accomodatius poſſit, ſed habet multas cautiones. Videndum eſt enim primum, ut cantiunculae ſententia non modo cum ſententia narrationis quoquo modo cohaereat, verum inde etiam veluti erumpat atque effloreſcat, ſic ut non appicta neque inſerta, ſed ſuo innata loco videatur. Adſit praeterea neceſſe eſt prudens judicium, quo ex metris omnibus ea potiſſimum deligantur, quae & rei cum majori evidentia repraeſentandae & affectibus animi ſingulis iracundiae, amoris, laetitiae, miſerationis exprimendis congruant; cum enim cantiunculae, ut paullo ante expoſui, nulla ferme reſpuant verſuum genera, difficile dictu eſt, quanta pro infinita propemodum varietate metrorum ſit earum inter ſe diſſimilitudo, & quam multiplex effectus. Danda vero generatim eſt opera tum in cantiunculis, tum etiam in narrationibus, ut & verba & ſententiae cantui poſſint quam commodiſſime ſociari; nimirum ſint hujuſmodi, ut nunquam rem aliquam illuſtrem aut jucundam non audien-

tibus ſubjiciant, ſic ut muſico, tanquam pictori, idoneum ſemper in promptu ſit argumentum & ad ornandum & ad repraeſentandum. Quae autem verba nullam rem, nullam imaginem ante oculos ponunt, aut per ſe nihil ſignificant, ſed vel numero explendo, vel etiam aliis verbis jungendis copulandiſque inter ſe unice inſerviunt, quaeque proinde *ſervilia*, aut fortaſſe melius *auxiliaria* poſſis appellare; ea profecto cum in omni poematum genere, lyricorum praeſertim, parce admodum admittenda ſunt (in *impetu enim & aeſtu animi*, quo rapti videri volunt poetae lyrici, nexus perquirere & concinnare frigidum eſt) tum non eſt credibile, quantopere, ſi ſaepius uſurpentur, in cantu diſpliceant; quippe cum eorum inanitas & otioſus *rumor aut magis in cantu aut certe majori cum moleſtia*, quam in nudae ac ſimplicis orationis curſu deprehenditur. Haec ſi tecum ipſe reputes diligentius, non erit tibi dubium, quin multum illis Graeciae poetis adjumenti attulerit pervetus conſuetudo, qua ſua quiſque poemata in circulis conviviiſque ad tibicinum aut ad chordarum ſo-

num canebat; qua quidem conſuetudine, ſiquid vel minimum in ſcribendo peccaverant, facile ſentiebant, excitabanturque ad verſus ſuos vividiori ſpiritu fundendos & animandos. Quid magis ad cantum, quid magis ad harmoniam idoneum carminibus Homeri? Omnia luculenta & ſplendida; nihil in eis otioſe, nihil perturbate, aut praepoſtere dictum, nihil quod relangueſcere ſinat audientium animos; nihil aut longius ductum, aut latius explicatum, aut copioſius ornatum, quam fuerit ad rem oculis ſubjiciendam, clariuſque exprimendam neceſſe. Tam nullae ſententiae ancipites ſunt, aut involutae, ne ſuſpenſae quidem, quod genus ſententiae, ſi quando in aliis poetis occurrunt, illud fere evenit, ut ante verborum vim ſentire nequeamus, quam ad extremum illud, quo rei perceptio clauditur, perventum eſt. Haec vitia, quantulacumque ſunt, quae ſummatim attigimus, Homero canenti haud quaquam levia, neque contemnenda videri debuerunt. *Ita ſe ab aliis abſtinere didicit*. At multo factum eſt aliter ab aliis poetis, qui praeſtanti licet ingenio

praediti ea minime effugerunt; effugiſſent autem, mea quidem ſententia, procul dubio, ſi ſemel induxiſſent in animum ſuos ut verſus antea canerent, quam in lucem emitterent. Ac ſi volumus cauſſas diligentius perquirere, quarum veluti conſpiratione & conſenſu fortunatiſſimo effectum eſt, ut remotiſſimis illis temporibus, quibus magna humani generis pars e barbarie atque inſcitia ſe nondum emerſerat, divinus repente Homerus extiterit, exemplar ſcilicet poeſeos abſolutiſſimum expletumque in omnibus ſuis numeris & partibus, in quo non umbra quaedam, ſed ſolida & expreſſa effigies, ac ipſa pene facies pulchritudinis cerni licet; ſi inquam volumus hujuſce rei cauſſas perquirere, nae hanc unam, inter alias plurimas, veriſſimam eſſe reperiemus, quam diximus, conſuetudinem canendi, & eam quidem, ut mihi videtur, non minimi momenti. Sed illuc revertor. Eſt igitur Melos opus plurimae difficultatis atque artis, in quo uſu ſaepe venit, quod eſt apud Horatium, ut *in vitium ducat culpae fuga*, ut ſcilicet ſi poeticae ſtudes elegantiae, muſi-

cae non facias ſatis, ſin muſices rationem omnem ducis, poeſin negligas atque depraves. Quare non eſt mirandum, cur nihil aegrius a poetis nobilioribus impetretur vel ſummis precibus, quam ut ad id operis adgrediantur. Difficile eſt enim idoneum argumentum excogitare; difficilius verbis ſententiisque ad numerum & ad rei dignitatem conformatis veſtire atque ornare. Benedictus tanta felicitate uſus eſt in hoc condendo carmine, ut ſupra nihil poſſit. Cujus rei nullum majus teſtimonium afferre poſſumus, quam quae ipſe reliquit mele ſane pulcherrima, tam multa tamque libera, fluentia, primo pene impetu ut effuſa eſſe videantur. Eorum pleraque ſunt amatoria, in eiſque (quod in Italicis ſuis epigrammatis Franciſcus Petrarcha antea praeſtiterat) Benedictus omnes viciſſitudines, omnes cogitationes, perturbationes animi, quae in amatorem cadere poſſunt, attigit. Equidem quas hactenus retulimus difficultates, has fere communes habent mele cum dramatis, ſed tamen in his vel ſeries ipſa actionis magno eſt ad materiem inveniendam adjumento,

deinde narrationes, ſiquae forte minus per ſe delectent, delectant nihilo ſecius, & faciunt plane ſatis hoc ipſo, quod cum antecedentibus apte cohaereant. Quod neutrum habent mele, quorum ſingula juſtum per ſe ſe corpus conficiunt. Imo etiam Benedicti mele puriori ſtilo exarata ſunt, quam reliqua ejus poemata; cujus rei dubito, utra cauſſa fuerit, veterum ne poetarum lectio, quorum plerique de amoribus conſcripſerunt, atque ita fere, ut ne Graeci quidem melius, an potius Amor ipſe, qui faciliorem ditioremque ejus venam reddiderit.

IX. Anno MDCCV. typis Antonii Bortoli bibliopolae Veneti in vulgus emanavit libellus, cujus titulus eſt: *Duetti, Terzetti, Madrigali a più voci*. In lucubrationes has muſicas Benedictus animadverſiones fecit, atque in epiſtolam quamdam ſuam retulit, quam qui legit, non juvenilis, ſed reconditae & conſummatae doctrinae, longoque uſu limati ac perpoliti judicii opuſculum credit. Poſtquam vir factus eſt, lepidiſſima ſatyra pedibus ſoluta, quam inſcripſit *il Teatro alla moda*, acrius in vitia invectus eſt,

quibus in ſuo quique genere laborant ſcenici poetae, muſici, machinatores, pictores, cantores, cantrices, redemptores, ludiones, ſartores, ad ſummam ſinguli & duces & artifices operarum theatralium. Dici non poteſt quam per Italiam univerſam ſtatim pervaſerit haec ſatyra; neque dum ejus memoria omnino interiit propter & feſtivitatem & vim, qua ſcripta eſt; maximeque quod diligenter veriſſimeque res vel minimas perſequitur. Hoc utrumque opuſculum, ſuppreſſo nomine, emiſit, credo, ut invidiam effugeret. Atque haec omnia Benedictus in uſum cantus aut artis muſicae cauſſa elucubravit. Sed alia nonnulla confecit. Ad hoc uſque tempus in manibus eſt hominum altera ipſius ſatyra, ſalis ac leporum pleniſſima, in qua ipſe quorumdam Italorum haereſes ac deliramenta circa potiorem Etruſcae linguae uſum vellicat belle ac feſtive. Hanc quoque proſa oratione compoſuit atque in modum comoediae, quae inſcripta eſt *il Cruſcante impazzito*, in qua illud in primis eſt admirabile, quod cum perſonas inducat, quae de ratione loquendi diſſentiunt

inter ſe, prout diverſas aetates vel ſectas ſequuntur, ſingularum ſtilum ac dicendi formas, quae cuique maxime conveniunt, exprimit imitando perfectiſſime. Quod unum indicio eſt, Benedictum miram ad eas artes, quae in imitatione ſitae sunt, nactum eſſe conformationem mentis; quippe qui imaginibus concipiendis (quas φαντασιας vocant) uſque eo excelluit, uti poſtea ad vivum eas reddere & ante oculos conſtituere ſine negotio poſſet. Eſt etiam unus liber moralis, exiguus ille quidem, verum aureolus & ad verbum prope ediſcendus, in quo Marcellus ſeriem ſententiarum ſubtexuit, quibus viri nobiles, Veneti praeſertim uſum vitae conformare debeant. Scripſit autem ipſum hac mente, ad omne ut officii munus maturius inſtrueret Laur. Alexand. Marcellum fratris filium, qui tum erat peradoleſcentulus, poſtea vero quam per aetatem licuit, ampliſſimus illius Reipublicae Senator fuit. Atque hercules ſi hic clariſſimus vir, cujus a morte alter eſt annus, eximiam ſibi opinionem virtutis vivens conciliaverat, ſi illuſtrem gradum & dignitatis

& gratiae in civitate ſua ſemper obtinuit; ſi & memoriam & deſiderium ſui moriens reliquit, neminem fore arbitror unum, quin idipſum totum inſtitutioni a patruo ei traditae aliqua ſaltem ex parte adtribuat. Quo nullum majus videtur inſtitutionis ejuſdem afferri praeconium poſſe. Delituit hoc commentariolum ſemper apud eumdem Laurentium Marcellum, a quo tamen una cum aliis monumentis, quae ad Benedicti vitam declarandam pertinent, ad Juvenalem Saccum collegam meum perhumaniter tranſmiſſum fuit. Nae ego ubi illud perlegi, admirari ſatis non potui non minus ſolidam & late fuſam morum doctrinam ad pauca praecepta, eaque dilucida contractam, quam reconditam quamdam ſcientiam cum interioris hominum naturae tum officiorum omnium, quibus communis civiliſque vita continetur, maxime ſcilicet in libera civitate. Elucubravit praeterea Benedictus magnum eorum epigrammatum numerum Italica lingua ſcriptorum, quorum modus quatuordecim *hendecaſyllabis* terminatur; ut pote cum ea ſit hujus poematis ratio, ut divi-

Digitized by Google

datur in partes quatuor, ex quibus priores duae quaternis, reliquae ternis verſibus conſtant. Ex eis formis excuſa ſunt centum cum hac *epigraphe :*

Pianger cercai, e non del pianto onore;

quae ſi legas, quanto ejus animus aeſtu flagraret, ſtatim perſenties. Complura quoque ejuſdem metri epigrammata ſacra emiſit in lucem ſeparatim una cum aliis poematibus diverſi quidem generis, ſed omnino argumenti moralis. Poſtremo duo ſunt hujus Scriptoris longa poemata in plures libros, ſive ut vocant, *cantus* diſtincta, qui rurſus diſtinguuntur in plurimas ὀγδοάδας, illius videlicet metri, quo uterque Taſſus, Bernius, Areoſtus, aliique Itali in epica uti poeſi conſueverunt. Alterum jocoſum, quod inſcribitur *il Buffone di nuova invenzione*, quodque in XIII. libros diſtributum ad umbilicum duxit, ediditque opus feſtiviſſimis narratiunculis conſperſum, eiſdemque ad hominum mores formandos perutilibus, ex quo apparet Benedictum lepidiſſimi fuiſſe inge-

Digitized by Google

nii atque ad comminiſcendum nati. Alterum vero grave, ſacrum & nullis prope terminis definitum, cujus argumento (eſt enim univerſi humani generis Redemptio) cogitari nihil divinius poteſt. Illud tamen inchoatum reliquit; nam quo minus perficeret, mors eum importuna prohibuit. Ad viceſimum uſque librum illud jam perduxerat, cum ceſſit e vita: ſed multo plus deerat ad totius operis perfectionem.

X. Leo Allaccius bina Marcelli dramata commemorans, quorum unum inſcribitur *la Dorinda*, alterum *Arato in Sparta*, ait prioris modos feciſſe Joannem Baptiſtam Peſuttum & Balthaſſarem Galuppium, poſterioris vero Joann. Baptiſtam Rüggerium. Ex quo perſpici licet Marcellum lucubrationes ſuas muſicas haudquaquam ſcenae commiſiſſe; vel quod theatri aures pertimeſceret, cujus plerumque judicium & leve & inepte moroſum eſt, vel quod vir nobiliſſimo animo (ſic enim fuit) theatralium muſicorum, qui quotidianum inde ſibi victum quaerebant, officere rationibus nollet. Ita ſuae quidem dignitatis eſſe exiſtimabat in theatro fabulas docere, modos

muſicae non item. Neque hos tamen in hominum conſpectum & ſub oculos intelligentium prodere eſt veritus; ſed mira incenſus gloriae cupiditate, & plurimorum commodis & optatis obſequendum ratus, complura poemata vulgavit ſua ſuis item notis adornata. Nondum ipſe primum & tricesimum annum praetergreſſus erat, cum publici juris fecerat quartum volumen cujuſdam ſui operis, cujus titulus eſt; *Canzoni Madrigaleſche, e arie per camera a due, a tre, a quattro voci*. Unum hujus voluminis exemplar in bibliotheca reperitur, quam inſtructiſſimam poſſidet clariſſimus vir Joannes Baptiſta Martinus, qui in ſuo ſpecimine (*del Contrappunto*) non perhonorificam modo illius mentionem facit, ſed inde etiam aliquid exempli cauſſa petit. At neſcio quo malo fato, ut diu multumque perquiſitum ſit, neque hujus voluminis quarti, neque aliorum antecedentium exemplar ullum reperiri uſquam potuit. Nae ego conjectura ducor ad judicandum hujuſmodi exemplaria, ſtatim ac publice exſcripta fuere, avidiſſime arrepta eſſe, atque adeo multo uſu attrita, brevi-

que conſumpta. Muſica igitur Benedicti opera, ut Phidiae ſigna, ſimul aſpecta & probata ſunt. Neque fieri minoris debent ejuſdem mele bene multa nondum in vulgus edita, quorum modos, magnam partem unis aptos humanis vocibus fecit, ſi *cymbalum* excipias, inſtrumentum illud ſcilicet, quod more noſtro nunquam deeſt, inſtrumentis autem ceteris, ſi adſint, moderatur. Modis hujuſmodi cum vis magna ineſt affectus exprimendi, tum naturalis illa ſtili ſimplicitas, quam in veteribus ſive poetis ſive oratoribus tanto admiramur opere, quaeque maxime eſt propria integrae incorruptaeque naturae. Omnem praeterea habent florem venuſtatis, ex eiſque veneres & lepores omnes redolent, qui amatorium ſtilum quam maxime decent. Quod haud veriſimile imperitis quibuſdam viſum iri intelligo, qui hujuſce ſtili gratias heri aut nudius tertius natas eſſe arbitrantur.

XI. Inter Benedicti mele recenſentur duo ſane celeberrima, ceteriſque multo longiora, *Caſſandra* ſcilicet & *Timotheus*; ſic enim inſcribuntur. Sed utrumque opus eſt

Antonii Comitis Patricii Veneti viri in litteraria republica magni nominis, ab ipſo quidem Benedicto harmonia donatum. Quorum in altero Priami Regis filia, Apollinis afflata ſpiritu, Phrygum Graecorumque incommoda praedicit, illuſtriora Iliadis loca attingens; alterum muſicorum repraeſentat chorum, in eiſque celebrem illum Timotheum, qui canentes in convivio Alexandri Perſarum victoris, ei adulantur, ac demum in Perſepolis incenſionem deſinit. Id autem in primis ſibi utroque propoſuit Poeta, ut numerorum imaginumque delectu ſuppeditaret, unde muſicos effectus omnes, eoſque vehementiores, commodiſſime exprimeret. Quod ita e ſententia ceſſit, ut uno ore harum artium aeſtimatores negent, aut vividiorem ſpiritum, aut majorem vim imitationis deſiderari poſſe. Harmonia etiam donaſſe fertur Benedictus ſcenam primam nobilis tragoediae Dominici Lazarinii (*Uliſſe il giovane*) ad veterum Graecorum lucernam elaboratae, atque ita ut hariolae potiſſimum, quae princeps loquitur, impetum atque afflatum divini furoris mirum in modum imi-

tetur. Neque ejuſdem tragoediae choris non eamdem operam praeſtitit, quod eo pertinebat, ut theatri antiqui perfectior exiſteret imitatio. Re quidem vera chorus, qui more Graecorum poſt actus intercinit, dici vix poteſt quantum interſit ad id, quod unum eſt tragoediarum maxime proprium. Nempe & affectus jam excitatos alit atque confirmat, & ſi quando opus eſt, ad affectus, qui conſecuturi ſunt, audientes diſponit. Praeterea ſpectatorem nova oblectatione tenet, nec tamen attentionem avertit. Quod contra faciunt exordia, quae hoc novo more tragoediarum actus diſtinguunt, ſiquidem ſunt fere vel muſici concentus, vel choreae, vel feſtiviores fabellae, quae nihil ad rem. Itaque veterem illam conſuetudinem in ſcenas revehere magna ratione conati ſunt Marcellus & Lazarinius, cujus tragoedia ſi nihilominus illam non ubique nacta eſt gloriam, quam certe merebatur, in cauſſa, ut opinor, fuit ipſius fabulae natura, quae cum nimium a noſtris moribus abhorreat, non ſatis vero ſimilis apparet. Scio Ulyſſis Junioris choros numeris muſicis a Joſepho Ser-

ratellio

ratellio praeclare ſociatos eſſe; qua de re teſtimonium extat ipſius Poetae in epiſtola, qua tragoediae praefatus eſt ſuae. Idipſum poſtea Marcellum praeſtitiſſe compertum eſt.

XII. Sed duo in primis breviora dramata magnam Benedicto gloriam pepererunt. Quorum unum eo nomine (*Serenata*) inſcriptum, quo Itali generatim carmina appellant, quibus adoleſcentes amicae oſtium nocte ſolent occentare, ad Carolum VI. Caeſarem pulchrarum artium fautorem & aeſtimatorem praeſtantiſſimum miſit, ut anno MDCCXXV. Kal. Octobribus magno ludorum apparatu & totius civitatis celebritate caneretur. Hujuſmodi drama mirifice extollit Apoſtolus Zenus (qui & quantus judex!) epiſtola ad Petrum Catharinum fratrem data, affirmans illius numeris cum poeticis tum potiſſimum muſicis & ſua & aliorum intelligentium ſententia nihil fieri potuiſſe nobilius aut modulatius, nihil judicio ac doctrina abſolutius. Huic generi ſimillimum eſt alterum drama, cujus nomen eſt *Caliſto in Orſa*, quod ſcenis etiam uſui eſſe poteſt. Vulgatiſſima eſt fabula peraeque atque ira

Junonis, quam utramque Ovidius graphice deſcribit, ut ſolet, illis verſibus:

. . . . idipſum
Indoluit Juno . . . . .
. . . . adimam tibi nempe figuram,
Qua tibi, quaque places noſtro importuna marito.
Dixit & adverſa prenſis a fronte capillis
Stravit humi pronam. Tendebat brachia ſupplex:
Brachia coeperunt nigris horreſcere villis,
Curvarique manus, & aduncos creſcere in ungues,
Officioque pedum fungi, laudataque quondam
Ora Jovi, lato fieri deformia rictu.
Met. Lib. II.

Sonorum concentus, tum qui huic mutationi praeit, tum qui cantum ipſum comitatur, incredibili quodam horrore animos perfundit, & membra quatit audientium, ſic ut hi non percipiant ſolum mente, ſed pene ſentiant ac experiantur vehementiorem quamdam commotionem, quae fabuloſae metamorphoſi admirabiliter reſpondet. Sed omnes

Marcellianae lucubrationes hac viva & naturali imitatione 'praeſtant; tantumque aberat, ut rerum majeſtate ac ſeveritate (quas ceteri minime aptas muſicae eſſe cenſent) aeſtus ingenii ſui refrigeſceret, ut maxime etiam excitaretur. Florebant per id temporis in Italia bene multi, qui magna erant in muſicis gloria, idque merito. Benedicto in mentem venit ex eis duodecim rogare, qui principes numerabantur, ut eorum quiſque certatim odem quamdam notis veſtiret muſicis, cujus initium eſt:

Spezza l' arco, Amor; ſei vinto.

Mos ei geſtus eſt; cumque iidem intelligerent ſibi rem eſſe cum tanto viro, omnes in id operis ingenii induſtriaeque nervos intenderunt. Sed ut ad comparandas inter ſe lucubrationes ventum eſt, omnium conceſſu Marcellus facile victor diſceſſit.

XIII. Hic in muſicen jocoſam nihil admodum propenſus fuit. Expertus eſt tamen quid etiam in hoc genere efficere poſſet, cantores illudens, qui ut puerilem vo-

cis mollitudinem aetate provecta retinerent, miſere ſunt multati. Hominibus id genus Benedictus ſubiratus erat, ſive quod eorum moroſitas ei ſaepe ſtomachum moviſſet (ſunt enim praeter ceteros cantores moroſi) ſive quod ejus vocis vitia oderat. Aures enim teretes & peritae voces hujuſmodi artis ope quaeſitas non a natura profectas aſpernantur ac reſpuunt. Illud conſtat neque in feminis *acutas* voces Benedictum admodum probaſſe, qui diceret bonas ac vere probabiles raro admodum reperiri, reliquas ferri non poſſe. Atque hic *acutas* appello voces, quas Itali appellant *Soprani*. Similiter nominemus licet *acutae proximas*, quae *Contralti*; medias quae *Tenori*, graves denique, quae *Baſſi* vulgo nominantur. Sed illuc redeo. Deſcriptis partibus Benedictus Divi Marci cantores, quotquot vel acuta, vel huic proxima uterentur voce, domum invitavit ſuam, ſimulans ſe velle novae cujuſdam lucubrationis experimentum facere, re autem vera ut eos belle ludificaretur. Illius enim lucubrationis & verba & modi erant ejuſmodi, ut illi in canendo non muſicorum chorus, ſed ovium

alterne balantum grex viderentur. Duas etiam habemus odas minuſculas illius generis, quae a *mandris* nomen invenerunt, primiſque Etruſcae poeſeos parentibus erant multo uſitatiores quam nobis. Prior, binis mediis vocibus ac totidem gravibus adhibitis, denuntiat cantores eos, qui vocem ſibi muliebrem arte fecerunt, e regno caelorum rejectum iri. In altera hi reſpondentes inducuntur, itidem quaterni (bini videlicet acutae, bini acutae proxima voce inſtructi) illos objurgando contraque ſe ſe purgando, atque id cantu quodam tumultuario commixtis etiam gravibus & mediis vocibus. Tali modo jocabatur Benedictus, genioque interdum indulgebat ſuo; lineas tamen tranſiliebat nunquam. Idem muſica organica a cantu ſejuncta, non tam multum, ſicut ſupra docuimus, ſe delectabat. Neque eo ſecius intentatam illam reliquit. Ut enim ipſe ſcientiſſime & plane ſingulari digitorum & oculorum mobilitate cymbali regulas percurrebat, ſic volumen integrum edidit, quo varii huic organo idonei modi continebantur. Complures praeterea elucubravit concentus (ſive

ſymphonias organicas) ad uſum partim fi-dicinum, partim etiam tibicinum. Atque illi quidem anno MDCCI., hi autem undecim annis poſt in vulgus exierunt.

XIV. Quibus rebus facile aſſecutus eſt Marcellus, ut ſuum longe lateque celebraretur nomen, in eumque reſpicerent omnes, tanquam in novum quoddam ac clariſſimum lumen. Cum enim inde a teneris annis explendeſcere coepiſſet ad primam illam gloriam quotidianas uſque acceſſiones adjunxit. Porro Venetias, ubi ſumma eſſe ſolet advenarum frequentia, adventabat nemo, qui quidem bonarum artium ſtudio incenſus eſſet, aut vellet videri, quin ejus viſendi audiendique occaſionem aucuparetur. Cantrices id flagitabant omnes, ut ne prius in ſcenam producerentur, quam ſe ſe illi probaviſſent; ſentiebant enim permagni intereſſe ſuffragium tanti viri. Cum ob hanc eamdem cauſſam, tum quia ſe diſcere aliquid ab ipſo ſemper poſſe confiderent (erat enim in notandis animadvertendiſque vitiis prudentiſſimus) muſici nobiliores cum illo de modis a ſe factis comunicabant.

XV. Ex omnibus primariis feminis, quae Venetiis ea tempeſtate florebant, cultiſſima habebatur, ſupraque mulierum conſuetudinem litterarum & liberalium artium intelligens atque ſtudioſa Heliſabetha Raineria ex patricia Lombriorum gente, quae proximis annis extincta eſt. Haec in domo ſua quotidie, ut moris eſt, illuſtrem ac florentiſſimum virorum feminarumque conventum habebat, in quo ſaepiſſime ludi hilareſque ſermones poeticis ac muſicis exercitationibus locum dabant. Eo igitur civium advenarumque flos confluebat, ut quiſque ſcilicet in alterutra illa aut in utraque arte excelleret. Ex quo numero Benedictus cum eſſet, praecipuo honore colebatur, idque cum ob eximias ſuas virtutes ingeniique facultates, tum vero propterea, quoniam praeter omnes carus acceptuſque erat eidem matronae, cui ipſe nobilem ſervitutem (ſic enim nunc loquuntur) diu conſtanterque ſervivit. Quod quidem officii huic uni matronae praeſtitit, praeterea nulli. Ceterum quibus ad eum ſermonis patebat aditus, faciebat omnibus ſatis, eoque majorem ſui

admirationem injiciebat, quo diutius quis familiariuſque eodem uteretur. Multa enim inerant Marcello, quae ad hominum animos conciliandos devinciendoſque valent quam plurimum. Erat enim affabilis & blandus; ſolutus atque expeditus ad loquendum, & ad omnem facilitatem comitatemque proclivis. Atque ea re in primis digniſſima erat, quae expeteretur ab omnibus, ejus convictio, quia notiones intimas atque reconditas, quas in unaquaque ingenua diſciplina aſſiduo ſtudio praeclaraque vi ingenii ſibi comparaverat, communicabat cum aliis & facile & libenter. Neque enim is erat, qui ſolus ſapere vellet. Imo vero quibus ipſe bonis abundabat, ea in quam plurimos poſſet, diffundere ſatagebat. Atque adeo pro ratione perſonarum ac temporum ad praecipienda delabebatur ſaepe numero, quae plerique a doctrina mediocriter inſtructi faſtidirent tanquam longe infra ſe poſita. Idem nonnullis muſices initia tradidit, qui experti potuerunt intelligere, quanti refert veram a principio & ſimplicem & directam viam edoceri.

XVI. Apud Eliſabetham Raineriam, de qua nuper mentionem fecimus, vivebat Fauſtina Bordoxia, virgo ſuaviſſimis moribus ac voce mirabili praedita, quam illa amabat plurimum, cariſſimamque habebat. Haec a Benedicto cantum doceri coepta eſt, atque in talem poſtea evaſit, qualem novit univerſa Europa. Vivit adhuc celeberrima haec mulier, eamque jamdiu habet in matrimonio Cl. vir Adolphus Aſſius *Saxon*, quod quidem matrimonium a muſis celebrari par erat; quo nimirum factum eſt, ut muſicus honeſtiſſimus atque elegantiſſimus cum honeſtiſſima & praeſtantiſſima cantrice in dulcem & ſempiternam amicitiam ſancto arctiſſimoque vinculo adjungeretur. Atque hanc cantum docuit Benedictus illius matronae rogatu, cui quicquam negare nefas eſſe duceret. Aliam puellam ſua ipſe ſponte ſuoque judicio docere inſtituit; quippe cujus perfectiſſima voce ſemel audita, in ſpem venit fore, ut longe omnes, quaecumque hac laude floruere, ſuperaret. Mos eſt infimae Venetorum plebis totas ut aeſtivas noctes animi & voluptatis cauſſa huc illuc cantando lintribus

circumvehantur, mulieres praeſertim, quae fere ſunt natura ad cantum aptiores. Canunt autem ſic, nihil ut humanis auribus accidere poſſit ſuavius ac modulatius. Vel ipſae cantiunculae, quas modulantur, quaeque ſibi nomen a lintribus ipſis adſciverunt, quod vernaculae linguae lepores omnes & veneres redolent, quodque & argutulae ſententiis & ſuo quodam ſtilo conſcriptae ſunt, ſimplici illo quidem & candido, ſed tamen vivido, placent omnibus ſummo opere. Benedicti paterna domus *euripum*, quem vocant *grandem*, adjacet, quo hujuſmodi lintrium majores fieri ſolent concurſus. Quare ex feminis omnibus, quae canentes illac noctu tranſibant, vocem unam potiſſimum animadvertit cum validiſſimam, tum mollitudine plane ſingulari. Percontatus quae foret, quae adeo lepide caneret, eſſe comperit Roſanam Scolfiam puellam abjectiſſimo loco natam, reique muſicae penitus inexpertem. In hac Benedictus admiratus eſt dona, quae perraris adeo tribuit natura, neque commiſit, ut ea fortunae injuria obſoleſcerent. Quare ipſe per ſe in-

ſtituendam illam ſuſcepit; neque prius a ſe dimiſit, quam eo perfectionis perduxerit, quo illam perventuram haud temere fuerat auguratus. At Joannes Zortius Venetus Sacerdos is profecto fuit, qui cum omnium princeps, tum majori cum fructu ſcientia facilitateque Benedicti uſus eſt. Muſices elementa didicerat ipſe apud Franciſcum Gaſparinium, illum ipſum ſcilicet, quem praeceptorem habuerat Benedictus. Poſtea ſe in diſciplinam tradidit ejuſdem Benedicti, qui tum erat prope adoleſcens. Hoc magiſtro cum non opinionum commentis, ſed rationibus duceretur, cumque generalibus artis principiis imbueretur, ex quibus unis ſincerum judicium conflatur, tantum brevi progreſſum fecit, ut anno ſeptingenteſimo viceſimo ſecundo ſupra milleſimum Florentiam magiſter perrexerit, atque inde Romam, ubi in D. Joannis Lateranenſis muſicorum choro praefectus eſt, ac tandem a Rege Luſitaniae magno pretio conductus fuerit. Tum in diſcipuli locum Romae ſuffectus eſt Gaſparinius, qui quidem ſatis habebat, ſi quam

deceſſor ſuus reliquerat, memoriae in eo munere reſponderet.

XVII. Itaque ad eximiam reconditamque doctrinam miram quamdam ſenſa aperiendi ſua cum adjungeret Benedictus, minime eſt mirandum, ſi ab omnibus unus maxime expeteretur. Neque vero quod ad aliorum vitia notanda atque irridenda paullo fuit ipſe propenſior, idcirco quicquam de ſua ſuavitate decerpſit, tantum videlicet ea in re, in qua difficillimum eſt videre quatenus moderationem & aequitatem Benedictus adhibebat. Non enim omnia, quae ſibi veniebant in buccam, ut falſiſſime dici poſſent, garriebat temere, neque quemquam, niſi meritum, quive prior laceſſiverit, agitabat. Atque etiam illo ipſo, quod acerbitatis & ſalis ejus ſermo habebat, nihil erat urbanitate ac lepore conditius, ita ut vel in ejus jocis & dicteriis aliquod ſemper probi ingenii lumen eluceret. Praeterea quantum ſibi ipſe licentiae ſumebat in loquendo, tantum tribuebat ceteris, atque ad aliorum arbitrium facile decenterque ſe ſe fingebat.

XVIII. Sic ſe gerens, ſemperque ali-

quid ſcribens ad quadrageſimum aetatis ſuae annum appropinquabat; neque dum de ſtudiorum ſuorum decumis Deo conſecrandis cogitare coeperat, etiamſi a puero ſtili ſacri auctores principes attigerat, in eoque ſe ſe non nihil exercuerat. Fors ei occaſionem tulit opus ſacrum & maximum aggrediendi, cui uni immortalitatem ſui nominis acceptam magis refert, quam reliquis ſuis laudibus in unum collectis. Intime vivebat Benedictus cum Hieronymo Aſcanio Juſtiniano Patricio Veneto, eamque neceſſitudinem morum ſimilitudo ac cognatio ſtudiorum & artium conciliaverat. Siquidem hic etiam non minus muſicae ſtudioſus erat, ut pote qui ſidicula praeclare ceciniſſe dicitur, quam poeſis, in qua excellens fuit. Prodiverat ipſe e diſciplina Dominici Lazarinii in Patavino Gymnaſio Graecarum Latinarumque litterarum profeſſoris primarii, deque univerſa Italia praeclare meriti ob acerrimas pugnas ab ipſo ſumma contentione pugnatas pro manſuetioribus muſis adverſus ſuorum temporum vaniloquentiam. Itaque Juſtinianus cum a natura, tum in primis a doctrina inſtructus

egregie (ut erat divinarum litterarum amantiſſimus) in animum induxit experiri ne poſſet Etruſcis verſibus Davidicae poeſis ſpiritum & magnificentiam exprimere. A prioribus decem pſalmis exorſus eſt, in quibus non verbum pro verbo reddidit, ſed eos latius interpretando aliquantum illuſtravit exornavitque. Sic & verſiculi alius ex alio nectuntur aptius, & ſtilus dulcior exiſtit atque nervoſior, atque ita ut alias res agere videatur, dum ſcribit ipſe elegantiſſime. Deinde (id quod tam poeſis quam muſice deſiderat) ſibi cavebat diligentiſſime ab illis verbis, ut ita dicam, ſemimortuis, quae ſupra vocare libuit ſervilia, ubi ſermo nobis erat de eo poematum genere, quae mele appellavimus, quibus ex rebus ſtilus omnino poeticus effloreſcat oportet. Quod ad metrum attinet, magnam ſibi pro opportunitate variandi numeri licentiam ſumpſit, veteres in hoc dithyrambicos imitatus. Neque id profecto non prudentiſſime fecit; quoniam non minori impetu afflat propheticus ſpiritus, quam qui ab antiquis Baccho tribuebatur; hoc tamen differt, quod hic tenebras,

ille lumen menti offundit. Praeterea ad ipſam effectuum varietatem repraeſentandam metrorum varietas confert plurimum, & eo magis in Italica poeſi, quam in Graeca aut Latina, quo verſus noſtri & menſuram temporis & ſuum certum ac proprium numerum, qui ρυθμος Graece dicitur, exprimunt accuratius, nihilque ambiguitati relinquunt loci. Quare verſuum mutatio apud nos, ſi modo tempore fiat, perinde delectat, atque in muſica variare opportune percuſſionum modos. Tali ratione Juſtinianus decem pſalmorum *paraphraſim* confecit; quam Marcello legendam cum dediſſet, hic, ut erat limato ac perpolito judicio, non poterat ejus elegantiam vim facilitatemque ſatis admirari. Id ille intuens, *quidni*, *tu*, inquit, *mi Marcelle*, *quando haec noſtra tibi verſio tantopere probatur*, *modis eam muſicis*, *qui rei ſanctitati dignitatique reſpondeant*, *exornas? Hoc ego cum plerîſque jucundiſſimum atque utiliſſimum fore cenſeo*, *tum vero digniſſimum viribus tuis*; *qui enim ei par eſſe poſſit*, *praeter te unum*, *video neminem*. Atque alia plura in hanc ſententiam. Continuo Benedictus rei & magnitudinem &

utilitatem agnoſcit; & ſimul, ut erat ſibi conſcius virium ſuarum, ſi recuſet, intelligit id non difficultatis excuſationem, ſed inertiae potius deprecationem viſum iri. Itaque ſine mora hunc ſibi laborem ſumendum eſſe ſtatuit; idque amico recipit. Hoc loco rem dicam, quae pleriſque fortaſſe incredibilis videbitur, veriſſima cum tamen ſit. Benedictus celerrime ac uno pene impetu priorum quinque pſalmorum harmoniam concinnavit, eamque gravem adeo, ſanctam auguſtamque & religioſam, nihil aliud in vita ſua ut egiſſe videretur, quam in hac ipſa ſola ſcribendi forma verſari. Erat enim vero ipſe non ſolum muſicus, verum etiam poeta, atque philoſophus; proindeque licet rebus amatoriis fere aſſuetus, habebat tamen animo comprehenſam abſolutiſſimam quamdam & univerſam pulchritudinis ſpeciem, quam intuens, in eaque defixus, in unoquoque ſtilo, ut ut amatorio diſſimili, quid aptum, quid decorum, quid elegans eſſet, quid contra, facillime ſentiret. Reſtabat igitur, ut quae ejus in mente inſederat forma illius ſtili, qui res divinas maxime decet, eam ſuis veluti

luti coloribus exprimeret. Id autem homini in ſcribendo diu multumque exercitato, quaecumque tandem res fuerit, de qua eo uſque ſcriptitarat, non erat ſane difficile.

XIX. In eleganti hominum conventu hoc primum veluti ſpecimen ingentis operis exhibitum fuit, atque animos audientium non ſolum inſueta voluptate affecit, ſed etiam in admirationem maximam rapuit, captos ſtili illius omnino ante id tempus inauditi & novitate & praeſtantia. Infinitus pleno a conſeſſu plauſus datus eſt; neque inventus eſt quiſpiam, qui amicorum nobiliſſimum par ſummis in caelum non laudibus efferret. Hoc ſucceſſu ambo confirmati ad propoſitum quiſque ſuum urgendum alacriori animo ſe retulerunt. Muſici praedicebant ad unum omnes fore neceſſe, uti eaſdem illas cantilenas, quas antea tractaverat Marcellus, deinceps repeteret; quippe quem omnes *ideas*, ſive omnia, ut ajunt, *motiva*, quae in eo genere graviſſimo ſuppetunt arti, jam exhauſiſſe crederent. Sed hi nimirum artis ubertatem, ſive potius foecunditatem & vim ingenii Marcelli imbecillitate

ac tenuitate ſui, ut res ipſa demonſtravit, metiebantur; ſiquidem ad pſalmum uſque quinquageſimum cum devenerit, novae ſemper ejus in animo ideae effloreſcebant, eaeque ad rei dignitatem aptiſſimae. Neque vero non fuit apertum, ſi amicus majorem verſionum numerum ſuppeditaſſet, longius Marcellum fuiſſe progreſſurum. Hic non praeteribo Marcellum omnes illas antiquae Graecorum muſices reliquias modis ſuis inſeruiſſe, quae, tanquam ſpolia ex ardenti rogo ſervata, adhuc ſuperſunt, tùm etiam cantilenas quaſdam, quibus pro varietate regionum, ubi degunt, Judaei in *ſynagogis* ſuis uti conſueverunt. Id fecit, non quo exareſceret ei aliquando vena, atque adeo opus eſſet ad alienos veluti fontes adire (nihil enim erat, ut paullo ante demonſtravimus, ejus ingenio feracius) ſed quod & maximo lucubrationibus ſuis ornamento id fore videbat, & ſummae eruditis auditoribus voluptati, quibus non poterant eximia ac nobiliſſima antiquitatis veſtigia non ſummopere arridere. Ea vero ita prudenter, ita ſuo quaeque loco adhibuit, ut ibi ſingula ſint po-

ſita ; ubi plurimum proficere, & valere poſſint.

XX. De novae illius harmoniae praeſtantia cum rumor exiiſſet, vehemens illius audiendae cupiditas pluribus injecta eſt. Hac mente nobilium atque intelligentium ſocietas conflatur, qui pecuniam ad hoc conſerant, ut quinquaginta illorum pſalmorum modi cani poſſint quam perfectiſſime. Petitur a duobus clariſſimis Auctoribus venia, neque non impetratur. Quare ſingulis hebdomadis die Jovis ſtatutum in locum ſub veſperum conveniebant quicumque in eam ſocietatem coierant; ibique pia hac oblectatione horas plus minus quatuor detinebantur, ad eam rem adhibitis quotquot in tam florenti civitate cantus ſonorumque experientiſſimi numerabantur. Recordantur grandiores natu ad illam domum, ubi hujuſmodi coetus agebantur, vulgus conſiſtere & harmoniae, quae foras illinc diffundebatur, novitate & dulcitudine quaſi ſuſpenſum teneri; itaque vias omnes quaqua verſus & angiportus occupare, magno ut id eſſet impedimento praetereuntibus. Ex quo quantum in ea canen-

di forma virium ineſſet ac vis facile eſt intellectu, neque enim, cum ſaepiſſime ſint habitae ſemper, habeanturque Venetiis id genus Academiae, quicquam tale uſu veniſſe compertum eſt. Quamvis vero tum cantores, tum etiam ii qui cantum ſonis gravioribus adjuvabant, ſuae quique eſſent artis ſcientiſſimi, ſeque privatis experimentis diligenter diſponerent; res tamen nunquam tam perfecte ſuccedebat, quam Marcello praeſente. Nam aſſidebat ipſe perſaepe cymbalo, dux & moderator chori. Tum vero videbatur ſuo veluti ſpiritu afflare atque animare ceteros. Auribus autem adeo delicatis fuiſſe fertur, uti in ſonis atque concentibus vel minima ſentiret. Atque ſi quid delinqueretur, ei medebatur ipſe ſtatim pro re nata non incommode, in primiſque non committebat, ut ne tantulum quidem deſcriptis notis quiſpiam in canendo adderet de ſuo. Non enim poteſt tanta vis, quantam in ſe habet harmonia Marcelliana ſentiri, ſi vel unguem tranſverſum cantores a ſcripto recedant. Paucis enim momentis res vel pulcherrimae deformantur. Percrebuerat jam non

per Italiam ſolum, ſed apud exteras etiam nationes tam eximii operis fama. Quare ut optatis plurimorum fieret ſatis, de illo edendo cogitari vehementer coeptum eſt. Res e ſententia ceſſit. Id egit ſcilicet typographus, ut ſtudioſorum conſociatio fieret, ab eaque tantum fere collatum eſt aeris, quantum ad ſumptus neceſſarios, haud ſane mediocres, in eam rem faciendos eſſet ſatis. Itaque L. pſalmi celeriter in publicum prodierunt ex officina Dominici Loviſae in octo volumina diſtributi grandiori charta & formis, ut tum erant tempora, plane elegantibus cuſi. Volumen primum prodiit anno poſt Chriſtum ortum MDCCXXIV., octavum vero anno inſequenti. Quo ſignificatur ſane totum opus ingens medius fidius, omnique laude dignum incredibili celeritate lucubratum eſſe; nam ut ſcriptum reliquit Joannes Marchionius Sacerdos Venetus, quadrageſimus Benedicto aetatis annus appetebat, cum ad res ſacras ornandas animum traduxit. Quare annos ſaltem quinque & triginta praetervectus jam erat, cum huic ſe ſcriptioni dedit, qui annus in annum MDCCXXI. incidit. Ita, quod

mirabile omnibus videri debet, extrema tanto operi manus acceſſit poſt annum quartum circiter quam illud fuerat inchoatum. Epiſtolae ad lectores, ſive, ut pleriſque appellare libet, praefationes, quae ſingulis voluminibus praeeunt, doctrinae modeſtiaeque pleniſſimae, Marcello magis, quam Juſtiniano, mihi quidem ut videtur, adjudicandae ſunt, quippe quae fere de nulla re alia, quam de muſica differunt: & cum ceterae legendae ſunt, tum potiſſimum prima digniſſima eſt, quae expendatur diligentius ab iis, qui aliquam cupiditatem habent in re muſica proficiendi.

XXI. Tali modo exemplaria egregii operis publice exſcripta cùm eſſent, atque in manus hominum deveniſſent, paſſim multiſque in locis ejus facta ſunt experimenta. Quod tum facile fiebat, neque enim ulla aetate uberior praeſtantium cantorum foetus fuit. Contra ea nihil modo bonis, & bene inſtitutis vocibus aegrius invenitur. Nec vero expectationem, quae maxima ubique fuerat, exitus ipſe admiratioque nuſquam ſuperavit. Longum eſſet civitates numerare

ſingulas. De Vienna, Roma, Hamburgo, Londino praetereundum non videtur. Carolus VI. Caeſar, ut ei de Marcellianis pſalmis nuper editis eorumque praeſtantia renunciatum eſt, idque nec obſcuro, nec vario ſermone, ſed & clariſſima & una omnium voce, Reipublicae Venetae Legato oſtendit nihil ſibi longius eſſe, quam dum tam celebres audiret modos. Hanc ſibi occaſionem Caeſari gratificandi non dimittendam Legatus exiſtimavit. Itaque ſtatim ad Benedictum litteras dat, eumque rogat ſibi quamprimum tranſmittat octo pſalmorum volumina, atque ſeparatim carminum exemplaria aliquot excudi curet, quae Principibus, aliiſque nobilibus viris, qui interſuturi erant, diſtribuerentur. Benedictus libenter celeriterque mandata confecit. Tandem neceſſariis rebus diligenter apparatis, quae uſui eſſent hujuſmodi conventui, Legatus Caeſarem aulaeque Caeſareae proceres domum invitavit ſuam, qui quidem conſeſſus longe nobiliſſimus tam incredibili aurium voluptate, magna cum animorum commotione adfectus eſt, ut fere abalienati a ſenſibus omnes videren-

tur. Hoc idem eodemque ſucceſſu deinceps reliquis fit diebus. Tum demum Marcellus laborum ſuorum pulcherrimum tulit fructum, nullum enim vel cogitatione ſibi fingere, vel animo concupiſcere poterat neque gravius judicium, neque elegantiorem coronam.

XXII. Fautricem iterum fortunam paucis poſt annis iidem nacti ſunt modi, Romae cum repeterentur, auctore Cardinali Octobonio, eodemque in eam rem aedes ac ſumptus ſuppeditante; atque illud quidem ea perfectione, ut nihil poſſit ultra. Primas enim agebant cantores ejus aetatis aut omnis fortaſſe memoriae principes Dominicus Riccius, is qui *Menecuccius* appellatus eſt, Paſchalis Betius, Joſephus Carminatus, Blaſius Herminius. Ad choros explendos electi ſunt ex Pontificiis cantoribus quatuor & viginti, qui praeſtantiſſimi ponebantur. Neque huic tantae vocum multitudini ac bonitati non plane reſpondebat graviorum chordarum concentus. Sed illud in primis memoria videtur digniſſimum, quod ſi quando harmonia identidem interquieſceret, eam excipiebant ſermones doctiſſimi, qui ab homi-

nibus habebantur & ſcientia & dignitate praeſtantibus, qui fere erant ex Arcadum coetu. His autem erat propoſitum, ut accurate animadverterent, veriſque laudibus ornarent, qua poeticas & pſalmorum & Italicae eorumdem interpretationis virtutes, qua modorum efficacitatem & praeſtantiam. Hae tum laudationes, tum animadverſiones prudentiſſimae jampridem ex hominum memoria exciderunt. In illis tamen numeranda videtur ode ſane nobiliſſima, quam in eo ipſò conventu dixit Franciſcus Lorenzini Generalis Arcadiae Cuſtos, quaeque ſic incipit: *Signor ſe del tuo ſaggio aureo intelletto*. Tum primum, quod quidem nos audivimus, exemplum habuit Italia, quo reſpicerent Principes viri, qui ſuae domi muſicos agere coetus ſolent; qui quidem velint meliorem plenioremque ex eis & voluptatem & utilitatem proficiſci. Et vero ſi quis veſtigiis ingreſſus Cardinalis Octobonii, perfectiſſimas quaſque lucubrationes eligeret, quae ad harmoniam canantur, atque negotium daret viris litteratis eiſdemque muſices peritis, ut quae cuique magis e re videantur, animadverſiones

ſaciant: is profecto brevi tempore ſenſim & quaſi per jocum efficiet, uti ars nobiliſſima vel propius ad perfectionem accedat, vel, ſi forte jaceat, erigatur, atque ad lucem veluti aſpiciendam revocetur. Duodecies conventus ille eſt habitus; idque prima nocte. Dies duodecima Marcellianos canendi pſalmos finem fecit. Totidem libelli juſsu atque impenſis ejuſdem Cardinalis ampliſſimi fuerunt editi, in quibus ſcilicet eorum pſalmorum, qui quaque die cani debebant, *paraphraſis* erat deſcripta ſeparatim, iique diſtribuebantur inter audientes, extimas frontes eleganter ornati pro dignitate perſonarum: id quod ſine neceſſaria cauſſa factum puto. Hanc enim peculiarem laudem habent Romani cantores partim ex ipſiusmet linguae bonitate, partim etiam e diſciplina, quod ita vocem in cantu moderantur, itaque expreſſa ac diſtincta, quin etiam leni appellatione litterarum utuntur, ut ne una quidem vocula devoretur.

XXIII. De Hamburgo, ubi pulchre tum excolebatur muſice, juvat epiſtolam aſferre, quam Joannes Mattheſonius vir do-

ctiſſimus, atque in tota Germania clariſſimus, ad Marcellum dedit. Tota eſt illa quidem digniſſima quae legatur. Pauca haec tamen, brevitatis cauſſa delibavimus: „ Id igitur, „ inquit, laudi mihi vertendum puto, quod „ auctor fuerim, ut pars egregii tui operis „ in majori templo auribus exhiberetur no„ ſtrorum civium carmine in vernaculam „ linguam ſcilicet translato. Triginta, qui „ illam modularentur, delecti homines fue„ re, in ſuo quique genere praeclari. Can„ tus novitate conventus frequens mirifice „ adfectus eſt uſque adeo, ut prae volu„ ptate & admiratione extra ſe plerique ra„ perentur. In primiſque ea res omnibus & „ admirationi & voluptati fuit, quod ſin„ gula verba, contra atque aſſolet, expreſ„ ſe diſtincteque audiebantur; quam qui„ dem laudem harmoniae ſtatuo & primam „ & maxime neceſſariam. Aliquot diebus „ poſt ſimile experimentum non minori ſuc„ ceſſu aliis in aedibus cepimus. Ex quo „ factum eſt, ut quemadmodum antea Pa„ leſtinae, nunc Marcello communiter pri„ mae deferantur „. Haec hactenus. Ali-

quanto ſerius Marcelli fama in Britanniam appulit. Sed nuſquam alibi tamdiu ejus pſalterium in pretio fuit. Tota *paraphraſis* in Anglicam linguam Londini converſa fuit, atque ita ut ſingula verba ſuis ſingulis notis muſicis reſponderent. Tali modo illud recudendum ſuſcepit Joannes Goltius Dunelmenſis, quae quidem editio ab hinc annis viginti circiter perfecta eſt.

XXIV. Per illud tempus quidam pſalmi praeter ceteros celebrari in vulgus coepti ſunt, ut eorum quiſque ſcilicet vel in audientibus atque etiam in cantoribus lacrimas movit, vel ſacrum quemdam horrorem pavoremque incuſſit, vel anxios animos & ſollicitos erexit, atque a deſperatione & moerore ad tranquillitatem laetitiamque traduxit. Neque hos tamen ſigillatim enumerandos mihi eſſe arbitror. Ego enim iis aſſentior, qui de ſacris Marcelli lucubrationibus ſic exiſtimant, eas ad unam omnes admirabiles eſſe, atque ita, ut quemadmodum Polycleti Doryphorum ſibi fuiſſe Lyſippus ajebat, ſic earum unaquaeque in ſuo genere magiſtra eſſe debeat harmonices ſtudioſis. Si quid eſt autem,

quod aliae ab aliis differunt, id ex argumenti natura, cui harmonia mirum ſemper in modum congruit, tum etiam ex diverſa auditorum indole ac praeparatione repetendum unice videtur. Ceterum ex pſalmis omnibus Marcellianis, qui quam aptiſſimi ad commovendos animos habiti ſunt, viceſimus primus & quinquageſimus numerantur, in quibus unis fides ejus generis, quae *Viole* appellantur, locum habent. Quod admonendum cenſui; id enim argumento eſt, organa muſica neque attentioni, neque affectuum commotioni natura officere, ſi ea in loco prudenterque adſciſcas.

XXV. Sane Marcellus fecit, ſi quis unquam alius, ut vere dictum videretur a ſapientibus quibuſdam viris eam ineſſe vim muſicae ſacrae, ut homines ad Dei cultum vehementer alliciat; nam conventibus illis, quos ſupra diximus, quicumque intererant, in eorum animos una cum ſuaviſſimis modis piae ſanctaeque cogitationes affectioneſque influebant. Neque vero defuerunt, qui turpi ac flagitioſae vitae cum uſque eo aſſueſſent, ut conſcientiae veluti callum ob-

duxerint, excitarentur nihilo ſegnius e lethali illo animae veterno, atque longe alii, quam acceſſerant, dimiſſo conventu, recederent. Quam quidem rem ut ſibi compertam planeque exploratam memoriae prodidit Joannes Marchionius, quem antea commemoravimus, quemque in deſcribendis rebus geſtis Benedicti potiſſimum auctorem ſequimur, quod non ſolum ejus aequalis fuit, ſed etiam in intimis & familiaribus: idemque narrat harmoniam pſalmorum praeter ceteros ſuum etiam auctorem Deo feciſſe lucri. Erat hic jamdiu in maxima gloria, quam videlicet illuſtribus ſuis ac pervagatis in muſicen remque litterariam meritis ipſe ſibi conciliaverat: neque proprias laudes, quibus aures undique circumſonabant ſuae, non libentiſſime audiebat. Feſtivos hilareſque conventus, convivia, theatra, ludicra ſpectacula frequentabat. Quod vitae genus quam lubricum ſit atque ad vitia proclive, nemo, qui aliquid ſapiat, non videt. Neque tamen ita voluptatum illecebris erat delibutus atque correptus, ut id prae ſe ferret. Praeterea quam ipſe pene cum lacte nutricis ſu-

xerat, penituſque animo imbiberat, ſanctam religionem perſuaſionemque chriſtianam, quae veluti germen eſt bonorum omnium, eamdem ratione ſtabili firmaque ita retinuerat, nihil ut illa in omni vita habuerit antiquius. Quo factum eſt, ut ſacra caeremoniaſque, quas externus Dei cultus continet, reveritus ſit ipſe ſemper, & nunquam non admodum religioſe obiret. Veruntamen cum impotenter abriperetur appetituum aeſtu, qui niſi rationi ſubjiciantur, imperant, & ſimul non tam diligenter ſibi caveret ab iis rebus, quae fere ſunt illecebrae peccandi, non eſt mirum, ſi eum in officio continere ne ipſa quidem poſſet rerum futurarum formido. Nulla mihi eſt religio, quominus id auſim affirmare, id nempe ipſum, quod ſemel atque iterum ac ſaepius ipſemet palam confeſſus eſt ſincerae poenitentiae ſtudio, quo magis divina pietas, quae ſibi praeſidio fuit, explendeſceret. In uno ex epigrammatis ſacris, de quibus mentionem fecimus, ſic Deum alloquitur.

Otto luſtri già viſſi: ahi! come ſcrivo;
Che viſſi, e viſſi tanto? anzi degg' io
Morte vera chiamar quel viver mio
Nel fango involto, e di tua grazia privo.

Neque minus dolenter anteactae vitae errata deflet in prooemio poematis ſui de *Redemptione:*

Ma un reo d'oltre otto luſtri, e quel ſon' io,
Come poſcia ſperar grazia sì rara?
Troppo innanzi a me ſta d'ogni error mio
Fiſſa memoria.

Atque alibi iterum:

Ma quante, quante ancor note profane
Queſta man non ſegnò, quando mi preſe
Muſica a' miglior anni? e qual rimane
Frutto d'ore sì lunghe indarno ſpeſe?

Et paullo infra:

Deh! infinita pietà, ſpargi d'obblio
Tanti di vana laude alteri fumi.

Itaque ubi profanis ſtudiis poſthabitis, res divinas ornare ingreſſus eſt Marcellus, recurſare

curſare ejus animo coeperunt ſalutares imagines, atque tum maxime, cum ſui pſalmorum modi canerentur. Saepius autem concinebat ipſemet in choris, idque eo vultu ac iis oculis, ut quantum eſſet animo adfectus, cuivis facile appareret.

XXVI. Sic ejus voluntas inclinabat ſenſim ad Chriſtianae laudis ſtudium; nihilo tamen magis illud unquam amplectebatur. Erat enim, quo tamdiu conſtringebatur, firmior conſuetudinis nexus, quam ut ulla humana ope diſſui aut diſrumpi poſſet. Extremo caſus, non ſine divino conſilio, quidam intervenit, quem inſignis ejus vitae morumque mutatio eſt conſecuta. Anno poſt Chriſtum natum MDCCXVIII. feſto die Sancti Iſidori, qui dies eſt ad XVI. Kal. Majas in Apoſtolorum fanum rem divinam auditum introierat, cumque ad aram maximam, ubi illa fiebat, accederet, lapis ſepulcralis, in quem veſtigium poſuit, ſub ejus pedibus confractus eſt, atque ita ut ille pectore tenus in foveam incideret. Ea re nihil admodum in praeſentiarum commotus eſt. Quin etiam praeſente animo uſus, quo ſolebat, nulla pertur-

bationis aut timoris edita voce, emerſit inde ſubito, totumque ſe ejecit incolumem. Sed nocte, quae illum diem inſecuta eſt, cum nullam capere poſſet partem quietis, praeteriti eum caſus recordatio inceſſit, quem quidem caſum alioſque innumeros atque inopinos, qui humanae vitae imminent in horas ſingulas, dum ſecum ipſe repütat & ſimul conſiderat, quo in ſtatu eſſet, quantoque in periculo verſaretur, ſiqua eum vis repentina opprimeret, hujuſmodi cogitationes aliae ex aliis ei divinitus ſubmittebantur, ut mente & voluntate repente commutata, non ante ſomnum ceperit, quam omnibus, quibus poſſet, modis Deum propitiare, eique ſe ſuamque vitam reliquam dare ſtatuerit. Ita qui caecus animo veſperi cubitum iverat, ut ipſemet in ſcriptis reliquit, is experrectus bene mane tantam ſibi eſſe lucem obortam ſenſit, ut Davidicam illam uſurparet vocem, *haec mutatio dexterae Excelſi*. E veſtigio autem ad Firmum Girardium prudentem virum e S. J. ſe contulit, eumque ducem novi itineris, quod ingredi volebat, ſibi conſtituit. Atque quo cumula-

tius divinae bonitati reſponderet, quoque liberius pietatis officiis vacare ſine interpellatoribus poſſet, non ſatis habuit paullatim diſſuere, ſed repente praecidit non amicitias modo illas periculo undique plenas, ſed vanas etiam, quibus antea plus aequo indulſerat. Id quod ſibi plane expedire intelligebat, maximeque in illis ſuae converſionis primordiis. Itaque ab omnium fere hominum colloquio familiaritateque complures annos ſe disjunxit, praeter quam Joannis Marchionii, cujus & doctrinam & pietatem ſpectatam jam & cognitam habebat.

XXVII. Nihil autem agere cum animus non poſſet, ſemper agere aliquid aut moliri ab initio aſſuetus aetatis, eo minus tum ceſſare a commentationibus poterat, quo erat in illa ſolitudine magis vacuus. Quare ut quidquid ſibi ſupereſſet temporis a religionis officiis, pie honeſteque conſumeret, poema epicum *de Redemptione*, quod diximus, magnum illud quidem & operoſum adortus eſt. Id eo fecit etiam, ut non minus poetica ſtudia, quam muſica Deo conſecraret; qua eum fuiſſe mente oſtendunt verba,

quae in fronte codicis manuſcripti leguntur: *eduxit me de lacu miſeriae & de luto faecis, & immiſit in os meum canticum novum carmen Deo noſtro*. Marcellus, ut erat animo ingenioque magno, totum illud argumentum quam latiſſime patet, complexus eſt, quippe quod in tria volumina tribuerat. Et primum quidem volumen *ab Incarnationis*, ut ajunt, decreto exorditur, reſque omnes deinceps perſequitur, quae illius executionem anteceſſerunt. Alterum a Jeſu Chriſti ortu initium capit, atque in baptiſmum deſinit. Tertium autem reliqua myſteria continet, quae ad eumdem docentem, prodigia patrantem, paſſum, mortuum, redivivum, ac tandem aſcendentem in caelos pertinent. Loco digreſſionum, quae variandis ornandiſque poematibus adhiberi ſolent, propoſuerat hoc ſibi, ut plurima admiſceret ex ſcientiis atque ex artibus, quae vel ad uſum humanae vitae, vel ad voluptatem conferunt, deprompta. Tali modo novam quamdam epopejae ſpeciem in artem invehere ſe poſſe confidebat, quae ſcilicet ſine amoribus & pugnis & allectare & tenere animos poſſet. Porro non ignora-

bat ipſe, quam arduam quamque difficilem ſibi provinciam ſumpſiſſet. Itaque ſibi ipſe diffidens (quae magnorum hominum modeſtia eſt) de omnibus amicis ſuis, qui iiſdem ſtudiis tenebantur, nonnullos potiſſimum conſtituit, quorum prudentiſſimis uteretur auribus.

XXVIII. Eos, ſiqua difficultas aut dubitatio incideret, ad conſilium adhibebat. Cum iis de verſibus a ſe nuperrime factis, deque rebus deinceps tractandis communicabat. Quidquid autem ab iis animadverſum objectumve eſſet, aut pro eorum cenſura ab ſe adjunctum, detractum, mutatum, in adverſaria ſua diligenter & ordine manu ſua referebat. Neque vero magis ſatagebat recte ſcribere quam feſtinare; ob eamque rem quo in id totus inſiſteret, una cum reliquis ſtudiis, illud etiam muſices, ſine qua nullam antea vitam ducebat, dimittendum ſibi eſſe ſtatuit. Hac mente cymbalum, in quo regularum ſeries eſt, parieti affixit; tum eo loci poſuit, unde movere ſine aliena ope non poſſet. Is nimirum verebatur, ne ea ſuavitate illectus temporis jacturam faceret.

Fit enim fere (id quod expertus noverat) ut ſciens quiſque muſices, ſi cymbalo aſſideat vel ad breve tempus, complures ibi per imprudentiam horas conſumat. Scio Mazzucchellium Comitem ita ſcripſiſſe eam Benedicto fuiſſe cauſſam, cur muſicae nuncium remitteret, quod haec illi ars in odium venerat, atque ita, ut (quemadmodum ex eo ipſo ſe audiviſſe praedicat) *ſi fieri poſſet, teſtamento caviſſet, ne cui in perpetuum e familia ſua ſe ſe ad id ſtudii adplicare liceret.* Sed ego cum diligenter inveſtigaverim, ita ne res eſſet, illud unum reperio, Marcellum muſicen quidem eo tempore odiſſe amatoriam ac voluptariam, cujus eſt animos mollire, ac virtutis nervos elidere, atque etiam illam, quae jam tum in templis audiri coeperat, prorſus a loci rerumque divinarum religione ac majeſtate alienam, nequaquam vero ſacram & gravem, quae primos ei pietatis igniculos indiderat: non enim credibile eſt eam rem ipſi religioni fuiſſe, quae res initium ſibi ſalutis attulerat. Quaeſtor Brixiae cum eſſet extremis temporibus, rogatu amicorum operam dedit ſaepe numero, ut

in Templo interiore Sacerdotum, qui Philippum Nerium parentem agnoſcunt, aliquot e pſalmis ſuis canerentur, in his tertius & viceſimus, cujus quidem modi propter & vim & varietatem pene ſenſus audientibus eripiebant omnes, in primiſque ad eum locum *quis eſt iſte Rex gloriae*. Cantitabat ipſe aliquando in choris, interdum choro ipſi moderabatur, idque faciebat nunquam, quin ejus animi ardor, pietas, religio ex toto corporis habitu ac praecipue ex fronte & oculis emicaret. Permulta etiam, quae ex uſu eſſent Eccleſiaſtici cantus, poſtquam reſipuerat, elucubravit. Nam & lamentationes novem Hieremiae prophetae, quae feriis quarta, quinta & ſexta ſanctioris hebdomadae recitari conſueverunt, & pſalmum quinquageſimum, eumque multimodis, & canticum Zachariae & illud etiam, quod D. Ambroſio adſcribitur, atque gratiis Deo publice agendis adhibetur, canere ad harmoniam docuit. Addidit his tres, ut ajunt, *Miſſas*, quas ad concentum muſicum exegit, donavitque harmonia plane admirabili. Unam fidiculis ſociavit: reliquas vero duas majo-

ribus fidibus dumtaxat, cum incredibili quadam cantus majeſtate. Harum una cum tota harmonicis virtutibus ſcatet, tum ad ea verba potiſſimum, *crucifixus etiam pro nobis*; erat enim hujuſmodi vocum temperatio, uti non mente ſolum conciperentur, ſed pene aures ipſas iterati malleorum ictus percellerent. Poſtremam ipſe compoſuit, ut fratris ſui filiae gratum faceret, quae in nobiliſſimum Sacrarum Virginum coetum ſe recipiebat. Feſtum eo die celebrabatur Transfigurationis Dominicae, quo feſto introitus in rem divinam ſic incipit: *illuxerunt coruſcaſiones tuae orbi terrae*. Non eſt veriſimile id quod accidit, eam ineſſe vim potuiſſe modis, qui praeter aliquot fides craſſioribus nervis inſtructas, & duo organa pneumatica, nullos alios admittunt ſonos, uti, dum illa verba canebantur, quaedam veluti fulgura per aerem ſerpere & coruſcare ante oculos viderentur. Has lucubratiunculas Eccleſiae, cui e S. Sophia nomen eſt, muneri dedit, quippe cui praeerat alter Marchionius Joannis perneceſſarii ſui frater. Equidem, quoad iſte vixit, repeti illae ſaepius ſolebant, at

poſt mortem ejus paullatim cani ſunt deſitae. Tandem in neſcio cujus imperiti manus devenere, qui cum pluris aeſtimaret pecuniam quam muſicen, Anglo cuidam, qui per Venetias iter faciebat, eas omnes vendidit, unis exceptis lamentationibus, quae ad hodiernum diem extant apud Venturam Prezzolum. Quibus ex rebus perſpicuum eſt alio Benedicto verba ſpectaſſe, atque Mazzucchellius accepit, eo videlicet ut uſum artis perverſum, non artem ipſam improbarent.

XXIX. Annos haud amplius decem Marcellus vixit, poſtquam ad frugem adplicuit animum, atque per id totum tempus non in propoſito ſolum inſtitutoque conſilio permanſit, ſed majores in Chriſtiana philoſophia quotidie progreſſus effecit, ſic ut brevi ſe ſe totum retexuerit, virtutumque omnium ceteris tanquam exemplum praeſtiterit. Tripartito ipſe diſtribuebat diem. Partem unam Reipublicae dabat; alteram ſtudio; tertiam precationi. Haec autem multo ſibi maximam partem vindicabat. Ac quoniam caritas in proximos expreſſus eſt ſincerae pie-

tatis ſignum, is pauperes, ſiquis opis ejus indigebat, amore prope paterno complectebatur, eiſque bis in hebdomada ſtipem erogabat, quicumque mendicatum domum ſuam confluebant. Quare ex iis fuit nemo, quin ejus funus ſic proſequeretur, ut lacrimis dolorem deſiderii indicaret. Sed audire praeſtat Joannem Baptiſtam Cinnellium ex Carmelitarum familia, quo erat Brixiae cum Marcello conjunctior nemo, qui quam ibidem hic perpetuo rationem vivendi tenuit, eam deſcribit fere in hanc ſententiam: „ Mane ut primum evigilaſſet, certum tempus „ dabat precationi; nec prius e conclavi „ prodibat, quam B. Virginis, quod vocant, „ officium perſolviſſet. Hujus quidem lau„ des crebris ſolebat uſurpare ſermonibus, „ eique ſecundum Deum converſionis bene„ ficium acceptum referebat, ut quam in „ omni vita praecipuo quodam honore co„ luiſſet. Deinde ad aedem ſe conferebat „ Sancti Joſephi, quam Sodales, qui ſe „ *Minores Obſervantes appellant*, incolunt, ex „ quorum familia Baſilium Saſſanum judicem „ conſcientiae ſuae delegerat. Ibi genibus fle-

„ xis, aeque animo ac corpore immotus,
„ intererat ſacro ac bis terve per hebdomadam ad Poenitentiae & Euchariſtiae myſteria accedebat. Rebus his, quae ad religionem pertinent, peractis, ſuſceptum Reipublicae munus integre diligenterque explebat. Pomeridianas horas poemati impertiebatur, de eoque ſecum litterati viri, qui domum ſuam ventitare conſueverant, octavo quoque die conferebant. Hi erant in primis Aloyſius Avogadrius Abbas & Theologus ex Sodalibus, qui e vitae regula *Canonici* appellantur, Marcus Cappellus Sacerdos Brixianus, Joannes Baptiſta Mazzucchellius Comes, & duo clariſſimi viri e Theatinorum familia, Gradenigus & Scallera. Ad veſperam prodibat domo; neque alio prius divertebat, quam Virginem Genitricem ſalutatum iverat. Eſt hujus fanum nobile cum primis ac ſumma religione praeditum, quod a Gratiis nomen invenit, ideo quia multis ſaepe in difficillimis rebus praeſens ibi auxilium oblatum eſt. Huc igitur frequens veniebat Marcellus, ac tum maxime, cum

„ dies feſti anniverſarii agerentur , quibus „ vulgo ſolet proferri Virginis effigies cele- „ berrimo feminarum hominumque con- „ ventu. Hic provolutus in genua, atque in „ rerum caeleſtium contemplatione defixus „ ſupplicabat, idque eo mentis ardore at- „ que animi attentione, prorſus ut ei nihil „ eſſe cum corpore videretur. Quod eo mi- „ rabilius omnibus accidebat, quo major erat „ turba ac ſtrepitus ultro citroque, ut fit, „ praetereuntium. Tali modo cum in bea- „ tiſſimam Dei Matrem pietatem expleſſet „ ſuam, extra urbis moenia egrediebatur , „ atque ego eram una plerumque. Nec ve- „ ro multum de ſua animi contentione re- „ mittebat, taciti enim fere incedebamus. „ Namque oculos a poemate ſuo dejiciens „ nunquam, commentabatur ipſe ſecum, ver- „ ſuſque inter deambulandum ad viginti, „ interdum ad triginta faciebat, quos ſimul „ atque dabatur ei facultas, in codicem re- „ ferebat „. Sic ne cum vacare quidem vi- debatur, homo a labore invictus ceſſabat.

XXX. Hoc vitae genus tam frugi at- que ſeverum, haec tam vehemens animi con-

tentio, quam in ſtudiis cum litterarum, tum praeſertim pietatis adhibebat, non poterant, quin ei maturarent mortem. Ad hanc ſe rapi utique ſentiebat ipſe, atque adeo in viceſimo poematis libro Mariam Virginem etiam atque etiam rogat, ſibi ut vita ad eum ſinem proferatur, quoad is poema ſuum ad calcem perducat. Tenebatur enim vir religioſiſſimus hoc deſiderio, propterea quod confidebat ſe numeris poeticis non minus quam muſicis aliquando conſecuturum, ut aliis ad pietatem ſtimulos ſubjiceret. Erat autem ei nuncius mortis praeter labefactatas vires reconditus quidam atque inteſtinus dolor, in quo plures jam menſes conſumpſerat, cum nihil proficeret diligens curatio Comitis Roncalliae nobiliſſimi medici, ſibique amiciſſimi, cui ipſe ſalutem ſuam permiſerat. Interea ſi forte corpus & animum remitteret, una cum Cinnellio, cujus, ut ſupra diximus, conſuetudo ei erat jucundiſſima, Caravagium cogitavit, quod eſt oppidum in ditione Ducis Mediolanenſis, agro Bergomatium finitimum. Abeſt ab oppido paſſuum MD. circiter B. V. Dei O. M. Genitricis templum ſane ſanctum

atque religioſum. In eo ſimulacrum eſt ejuſdem Virginis, cujus vim numenque multa non raro prodigia declararunt. Hujus igitur inviſendae ſalutandaeque cauſſa eo profectus, multa cum prece & incredibili quadam ſpiritus dulcedine myſteriis divinis interfuit, & caeleſti eſt pane refectus. Domum rediens animo hilariori cum eſſet, cumque dolor ille nonnihil remiſiſſe videretur, omnino decrevit nulla in poſterum medicamenta adhibere. Haec Marcello ſpes minus fuit diuturna. Nam poſtquam Caravagio reverterat, non ita multis diebus extra urbem, qua hora conſueverat, ambulatum egreſſus, de improviſo difficultate ſpiritus adflictus eſt. Quare amicis, qui una erant, *ſinite*, inquit, *tantiſper quieſcam; animam mihi pene intercludi ſentio*. Nihilo tamen ſegnius poſt paullulum quietis ſatis laxamenti nactus, ſuſceptum iter continuavit. Poſtridie mane in eo cum eſſet, ut pharmacum juſſus hauriret, nauſea correptus eſt, & putrem ſanguinem evomuit, quod a Roncallia Comite *tuberculum* appellatum fuit. Huic, gravitate morbi perſpecta, viſum eſt faciendum, ut alius quiſpiam me–

dicus ſibi in conſilium daretur. Itaque arceſſitus eſt Soardus Soardius, medicus uſu ac doctrina praeſtans, cum primiſque nobilis. Ex Cinnellio, qui lectulo aſtabat, petit Benedictus, uti medicorum conſultationi intereſſe velit. Inter utrumque convenit morbum eſſe inſanabilem. Cinnellius in conclave triſtis ac demiſſus redire; ad lectum cogitabundus accedere; tum obmuteſcere, ac lacrimas vix tenere. Facile, id quod erat, ſuſpicatur aegrotus, ac *quaeſo*, inquit, *ne me de meo ſtatu celatum velis; loquere ſis, ut ſoles, aperte; nae ego, quicquid dixeris, tanquam e caelo delapſam vocem accipiam*. Cui ille collacrimans aperit quid medici ſentiant, nullam in eorum arte de ejus ſalute ſpem eſſe reliquam denuntiat. Id ut audivit Marcellus, ei gratias egit amantiſſimis verbis. Imaginem Jeſu Chriſti e cruce pendentis in manus ſumpſit, in eamque mente atque oculis intuens, ſummam ejus in ſe caritatem ac innumera beneficia commemoravit, aliquantoque poſt arceſſiri juſſit, qui ſibi erat a confeſſionibus. Poſtridie ejus diei ſacrum, ut ajunt, Viaticum ſibi adferri voluit. Cum vis morbi in

dies accreſceret, ipſe tamen integer mente & reliquis ſenſibus uſque ad extremum ſpiritum fuit. Cinnellium rogat, ut qua erat in ſe caritate & humanitate, e lectulo ſuo amplius ne pedem diſcedat. Quod hic ei recepit & praeſtitit novem dies ſcilicet ac totidem noctes. Quicumque illum convenirent, nunquam eum Jeſu Chriſto non intime conjunctum offendebant. Ad ultimum ubi ſe jam confici intellexit, certiorem faciendum curavit animae ſuae moderatorem. Aderat praeterea Aloyſius Abbas Avogadrius, de quo antea dictum eſt, nunc Epiſcopus Caſalenſis. Agenti animam hinc atque hinc aſſidebat uterque tacitus; nec enim ullus eis conſolandi aut cohortandi dabatur locus. Attoniti atque in lacrimas effuſi ſatis non poterant admirari ſuaviſſimos affectus, in quos ſanctiſſima illa anima ſpe bona cumulata, divinoque amore incenſa, in Jeſu Chriſti morientis meditatione defixa identidem erumpebat. Tali modo in pervigilio feſti Sancti Jacobi Apoſtoli, eo ipſo ſcilicet die, quo in hanc vitam ingreſſus eſt, ex eadem migravit Marcellus IX. Kal. Sextilis an. MDCCXXIX.

XXXI.

XXXI. Venit tum in manus Avogadrii libellus, in quem Benedictus acta ſingulorum dierum ſua retulerat manu a converſione ſua uſque ad vitae exitum, ex quo ſcilicet tempus cum tempore comparans, utrum proficeret, an regrederetur, poſſet intelligere, itaque ſe ſe magis & magis excitaret. In hac profecto ephemeride conficiendà habuit ipſe quotidie negotii ſatis; ſic enim omnia de ſuis actis non diligenter modo, ſed religioſe praeſcripta ſunt, ut nihil in his non appareat. Qua ex re una exiſtimari poſſet, quantam in nitendo, quod ſemel admiſerat, contentionem adhibere conſueſſet. Quod quidem ingenium vel inde ab adoleſcentia Benedictus prae ſe tulit, perfectiuſque aetate corroborata, ſed longe magis extremo tempore oſtendit in ea vivendi ratione, quam rerum humanarum pertaeſus capeſſivit, idque plane neceſſario, propterea quod vitioſam ac inveteratam conſuetudinem vincere, cujus ipſe ſtirpes omnes ac fibras evellere volebat, res eſt omnium difficillima. Eſt autem ephemeris illa diſtincta identidem atque interpuncta ſententiis, quas qui legit, facile

cognoſcit, quanta vis poenitendi animique demiſſio inerat Marcello, neque multum fortaſſe ſenſa confeſſionum Auguſtini deſiderat. Juſſerat Marcellus poematis ſui rudimenta ad Sebaſtianum Molinium mitti, virum e Veneta nobilitate doctiſſimum, ſibique omni neceſſitudinis jure conjunctum, a quo ſperabat ſcilicet operi inchoato tanquam faſtigium impoſitum iri. Atque id, credo, Molinium effecturum fuiſſe, niſi aliquis caſus aut occupatio conſilium ejus peremiſſet. Vendraminus Patricius Venetus, qui tum maximum magiſtratum Brixiae obtinebat, funus ei ampliſſimum faciendum curavit, quo par erat efferri hominem ea dignitate & generis & perſonae. Elatus eſt ad Sancti Joſephi magna omnium ordinum frequentia, ibique juſtis perſolutis, ſeparatim humatus, media templi teſtudine, in ſepulcro novo, in quo ab uxore ejus, cui vir, quas res domi ſuae habebat, extremis legaverat tabulis, hoc elogium, ſuique grati animi monumentum inſcriptum eſt.

BENEDICTO . MARCELLO .
PATRICIO . VENETO .
PIENTISSIMO .
PHILOLOGO. POETAE .
MUSICES . PRINCIPI .
QUAESTORI . BRIXIENSI .
V. M.
AN. CIƆIƆCCXXXIX. VIII. KAL. AUGUSTI
POSUIT .
VIXIT . A. LII. MENSES . XI. D. XXVIII.

Ac quando de Marcelli uxore incidit mentio, non videor debere praeterire eam fuiſſe illam ipſam Roſanam Scolſiam, de qua ſupra commemoravimus. Hanc, quod humili admodum eſſet loco nata, ſecreto ſibi adjunxit, neque domum ſuam, neque in provinciam adduxit unquam, ſed in poteſtate matris ejus honeſtiſſimae feminae reliquit, eiſque victum ſatis liberalem a principio conſtituerat de ſuo. Eadem, ubi muſicen edocta fuit, nunquam adduci potuit, ut injuſſu mariti caneret, niſi ſi quando ſcilicet hic eam auditum aliquot ex amicis ſuis, eoſque

perpaucos, intromittebat. Equidem potuiſſet ipſa, ſui mancipii cum eſſet viro defuncto, artis ſuae praeſtantia & opes ſibi comparare & famam, ſed tamen in ea obſcuritate hominumque ignoratione mori maluit, in qua antea verſata fuerat. Quod ſi verum eſt, quod Pericles dixiſſe fertur, primam in ſapiente femina laudem eſſe, ut ne de virtute quidem illius ulla ad viros fama dimanet, nae haec ſapientiſſima fuit, quae conjugis & vivi & mortui laudibus contenta ſibi non quaeſivit amplius.

XXXII. Marcellum jure ac merito muſices principem appellatum fuiſſe, nemo eat inficias, apud quem plus vera ratio valet, quam praejudicata opinio. Atque hercules ut in ſua quiſque facultate maxime excelluit, omnibus inſtructus & naturae & doctrinae ſubſidiis, ita plurima ſcripſit & celerrime. Atqui hoc mihi videor vere eſſe dicturus, ex omnibus iis, qui in muſicis unquam floruere, neminem reperiri unum, qui tanta uſus ſit in ſcribendo celeritate, quanta Marcellus, modo ut multitudinis ſcriptorum ejus ratio ducatur & ſimul temporis, quod in eis

elucubrandis collocavit, homo aliis curis ſcilicet ſtudiiſque perpetuo diſtentus, nec ſatis ſuo tempore extinctus. Praeterea praeclarum quidem eſt in ſingulis ſcribendi formis ſingulos excellere; at quantum hoc eſt unum atque eumdem, ſic utramque formam cum mollem & amatoriam, tum gravem atque ſacram aſſecutum eſſe, ut in utra praeſtantior fuerit, non facile ſit judicare? Idem noverat peritiſſima quaeque muſicorum artificia. Ex his tamen (ut nihil non ad rationem & tanquam ad artem dirigebat) ea de induſtria contempſit atque neglexit, quae ad ipſius artis finem nihil faciunt, ac nihil habent praeter vanam quamdam oſtentationem ingenii. Ac quoniam imitatio ea pars eſt harmonices, ſicut ceterarum bonarum artium, in qua magis eſt & laudis & laboris, nihil ea potius habuit Marcellus, in eaque non optimus modo, ſed plane admirabilis fuit. Poſtremo in ſingulis ejus lucubrationibus ille utique naturalis ineſt, non fucatus nitor, illa ſimplicitas atque incorrupta ſtili veluti ſanitas, quae eſt ſane in oratoribus atque poetis, atque etiam in pi-

ctoribus nota quaedam, ſeu, ut Graeci dicunt, *character* ſummae perfectionis. Namque *imitabilis illa quidem* (ut verbis utar Tullii) *videtur eſſe exiſtimanti, ſed nihil eſt experienti minus*, propterea quod ingenia mediocria neque nervos, neque quantum eſt opus elegantiae dare operibus poſſunt ſuis; e contrario ſumma atque praeſtantia aegre ſe ſuſtinent, retinentque aucupandae delectationis modum, ob eamque cauſſam in eo peccant plerumque, in quo Apelles pictores quoſdam peccare dicebat, qui non ſentirent quid eſſet ſatis. Quo fit, ut admodum pauci veram ac nativam pulchritudinem re aſſequi in ſcribendo potuerint. Quin ne multi quidem ſunt, qui eam, ſicuti eſt, ſentiant, tantique faciant, quanti par eſt; fere enim multitudinis judicio potius, quam noſtro ferimur, quaeque majori parti pulcherrima videntur, plurimi aeſtimamus. At ſiqui ſunt, qui verae pulchritudinis guſtum habent, iis profecto Marcelliani modi non incredibilem modo voluptatem habent, ſed magnam etiam admirabilitatem. Neque vero non eſt perſpicuum ex imagine ingenii ejus, quam, ſi minus ex-

preſſimus, adumbravimus quidem certe, in poeſi eum pari modo nihil non aſſecuturum fuiſſe, ſi quidem aeque in his ſtudiis atque in muſicis eum tempora adjuviſſent.

XXXIII. Nuncio Romam allato de obitu Marcelli Cardinali Octobonio, penes quem pſalmi ad illius harmoniam cani nondum deſierant, quadam die placuit in eorum vicem demortui memoriam carminibus celebrari, idque certatim praeſtitum eſt a poetis nobilioribus, quicumque in ea civitate erant domicilio quodam vetere omnium litterarum. De laudibus ejuſdem in celeberrimo conventu orationem habuit Sanctus Canalis concionator nobilis e S. J. Statura Marcellus fuit mediocri, colore aquilo, nigro atque denſo ſupercilio, fronte contracta, atque ad gravitatem compoſita, quemadmodum ex ejus effigie apparet in tabella affabre picta a Ludovico Molinio e Benedictinorum familia, Sebaſtiani ac Joannis fratre, quorum alter fuit Senator, is, cui poema ſuum conficiendum Marcellus reliquit, alter Epiſcopus Brixianus & S. R. E. Cardinalis.

XXXIV. Societas, quam ſupra oſten-

dimus, Venetiis eo conflatam, ut cum reliquae Marcelli lucubrationes, tum potiſſimum pſalmi canerentur quam optime, refrixit ſtatim, ut eam ipſe frequentare intermiſit, neque longo intervallo temporis penitus disjecta eſt non ſine multorum querelis, qui tale aliquid ſe amplius audituros deſperabant. Poſtea vero quam ipſe e vivis exceſſit, ejus pſalterium communiter apud operarios muſicos ſenſim couſenuit, & jamdiu celebrari atque in pretio haberi deſiit. Idque haud ſcio mirandum ne ſit, cum quia non eſt, ut ait Tullius, *quicquam tam valde, quam nihil ſapere vulgare*, tum maxime quia per id tempus Italia univerſa totam ſe ad ſymphonias organicas convertit, atque id muſicae accidit, quod aliis temporibus poeſi atque eloquentiae, ut nativae ac germanae ſtili venuſtati atque elegantiae turgidum quoddam & exquiſitum nimis ac putidum ſcribendi genus ſuccederet. At vero inter nobiles artis ſtudioſos ad hoc uſque diei non defuerunt, qui Marcellianum ſtilum mirarentur unum atque diligerent. Quos inter eminent potiſſimum Venetiis duo illi viri ex prin-

Digitized by Google

cipe ejus civitatis ordine Benedictus Grimanus & Carolus Taſſius Comes, alter amantiſſimus, alter etiam ſcientiſſimus muſices; uterque vero cum muſicos in domo ſua conventus habeat, in iis ſaepiſſime Marcellianis utitur modis; tum etiam Caecilia Sagreda Baſſia, femina primaria, quae eos modulari ipſamet ſolet ad chordarum ſonum; Romae duo ſumma nobilitate viri *del Cinque* & Antonius Regius, optimi ambo harum rerum aeſtimatores; ibidemque tres illae ſorores ex clariſſimo Aſtallorum genere, vulgo ob eximiam formam tres Charites appellatae, quarum una in Piccolominaeorum familiam, alrera in Macaranorum, tertia in Simonettarum nupſit, eaeque pſalmos Marcellianos vel difficiliores ea concordia & perfectione concinebant, ut in magnam ſaepe admirationem traduxerint Juſtinianum Hieronymi Aſcanii filium apud P. M. Reipublicae Venetae Legatum, cujus quidem in hac muſicae forma, cui ab ipſo Marcello fuerat initiatus, acre eſſe debebat intelligensque judicium; ac tandem Viennae Joſephus *Dynaſtes* Du-Benius ſenior, qui muſicarum lucu-

brationum feſtivam habet copiam, in hiſque pſalterium Marcellianum, quo frequenter uti conſuevit in eleganti intelligentium coetu, qui ad eum conveniunt. Mediolani etiam Firmiano Comiti, quem honoris cauſſa nomino, & Joanni Serbellonio Duci hoc muſicae genus, cui primas & ipſi deferunt, deguſtare placuit non ſemel. Erat illud hic tamen operariis muſicis pene incognitum, ſic ut ii fortaſſe, praeter admodum paucos, Marcelli nomen ne fando quidem audiverint. Quibus eo minus ignoſcendum videtur, quo magis vel ipſa muſices forma, quam propter *Ambroſianum* ritum, qui fidicularum non recepit ſonos, ſequi coguntur, ad optimum illud harmoniae *vocalis* exemplar legendum, penituſque pernoſcendum atque imitandum impellere eos debuiſſet. Nae nos perlubenter hujuſmodi monumenta litteris prodimus; declarant enim ad judicii quamdam elegantiam aſſequendam tum in ceteris ingenuis diſciplinis, tum etiam in muſica valere plurimum liberalem ac nobilem inſtitutionem, quae operariis non eſt perinde communis, ut nobilibus artis ſtudioſis.

Sed ſint illi ſane ingenue liberaliterque educati; alia iiſdem ſupereſt difficultas non exigui momenti, rei ſcilicet familiaris anguſtia, cui dum proſpicere potiſſimum ſtudent, ſit facile, ut ad ſolam voluptatem aurium ſcribant, & quo vendibiliores faciant modos, corrupto potius ac depravato imperitorum judicio uti malint, quam proprio integro atque ſincero. Profecto ſcriptores artis (ut non uſu ſolum periti ſunt, ſed etiam ratione & doctrina) fere in Marcello miris laudibus extollendo conſenſerunt. Neque dubito, quin idem ille ſit apud poſteros conſecuturus. Quin etiam ſicuti pro eo, quanti Homerum quis facit, rectus poeticae judex agnoſcitur, ſic ſemper mea quidem ſententia, ut cuique maxime Marcellus placebit, ita quiſque veriſſimum harmonicae pulchritudinis judicium habere exiſtimabitur. In Marcellum enim quadrare illud ipſum poſſe videretur, quod Quintilianus de Homero affirmat, *magni eſſe viri ejus virtutes non aemulatione (quod fieri non poteſt) ſed intellectu ſequi*.

XXXV. At enim illum ore non ita pleno laudavit Xaverius Matthaejus, vir

doctiſſimus, is qui pſalmorum μετάφρασιν; ſane celebrem Italicis verſibus recens confecit. Namque plurimas laudes, ſummas illas quidem atque graviſſimas, quas in eum congeſſit, nonnullis reprehenſionibus, leviuſculis tamen, aſpergit. Affirmat quos Marcellus pſalmorum fecit modos, eſſe plane admirabiles; fuiſſe hunc muſicum philoſophum, qui ex opinionibus imperitae multitudinis non pendebat; ejuſdem pſalterium eſſe tanquam theſaurum variae ac multiplicis doctrinae harmonicae, ex quo prudens quiſque & ingenioſus facile mutuare opes poteſt, & in rem ſuam convertere. Haec omnia de Marcello praedicat Matthaejus, atque hoc amplius, quod unum hoc propoſitum eſſe deberet exemplum in ſcholis, quo tanquam ad regulam dirigere artem ſcriptionemque aſſueſcant muſicae ſtudioſi. Sed in eo illum reprehendit, quod ſeveritatem nimiam modis, & ſtilî quaſi moeſtitiam ſit ſecutus. „ Ingenium, in-
„ quit, nactus erat tetricum .... Singuli
„ ejus pſalmi pauciſſimis inſtrumentis eis-
„ demque penitus neceſſariis ſociati, Davi-
„ dem poenitentem & ſilentio noctis in ab-

„ dito conclavi meditantem referunt, mini-
„ me vero eumdem Principem triumphantem,
„ ac longe etiam minus Salomonem in ma-
„ gnificentia ſua „. Certe harmonia organica Benedicti temporibus manca quodammodo & inchoata erat, aberatque procul ab eo, quem nunc tenet, perfectionis gradu. Quare hoc ipſum fuit ejus prudentiae ſpecimen, quod nervis quam perciſſime ſit uſus, iiſque fere gravioribus, maxime quod muſica vocalis ſuas quasdam habet peculiares virtutes, de quibus multiplex inſtrumentorum varietas non poteſt, quin multum detrahat. Quocirca hoc genus, ut eſt omnium antiquiſſimum & praeclariſſimum, ſic nullo unquam tempore obſoleſcet; placebit ſane ſemper ſummoque in pretio habebitur. Ceterum ſic nos ſtatuimus, Marcellianum ſtilum videri utique poſſe triſtem atque horridulum recentioribus pleriſque, qui ſcilicet aures oppletas habent concentibus numeroſiſſimis & tumultuoſis, aut deliciis luxuque diffluentibus, quales vel Dionyſia vel Adonia, ſi etiam num fierent, decerent vel maxime; ceteris profecto non ita, qui perſpicere unice ſolent, quid in quaque

re decorum ſincerumque ſit. Hi profecto ſi modo illos attentius perlegant modos, ſentient harmoniam qua triſtem eſſe, qua hilarem, prout uſus poſcit, idque ea proportione, ut neque profuſior, neve remiſſior ſit uſquam vel hilaritas, vel moeſtitia, quam verborum natura ſenſuſque deſiderat. Quae quidem proportio non eſt dubium, quin muſicae imitationis princeps ſit omnium virtus & diſficillima. Sed quod difficilior, hoc praeclarior.

XXXVI. Xaverius ad cenſuram pſalmum quinquageſimum ſigillatim vocat, qui eſt multo celeberrimus. Eo propter & majeſtatem & vim & ſuavitatem nihil ipſemet ſtatuit fieri potuiſſe perfectius. Nodum tamen in ſcirpo quaerit, duoſque ejuſdem verſiculos reprehendit, nonum videlicet & poſtremum. In hoc altero dicit occaſionem adripuiſſe Marcellum adhibendi quemdam canonem, in quo iterare identidem facit acutam vocem *agnelli*, mediam *capre*, gravem *irci*, idque ea mente, ut cantores vocibus ſuis vocem eorum animalium exprimerent. Quae Marcello mens ſi reapſe fuit, ne ego quidem, quo minus reprehendatur, valde recuſo: eſ-

ſet enim talis imitatio frivola , puerilis , nihilque admodum ad rem . Sed non eſt ita, quippe cum ea verba promiſcue proferantur iterenturque modo ab una voce , modo ab altera, prout ordo harmonicus poſtulat. Quin contra licet animadvertere in imitando cum totus eſſet Marcellus, longiſſime tamen eum a talibus deliciis, vel potius ineptiis, abſuiſſe ſemper, neque ita facile conſueſſe, quo res incidentes imitaretur, a propoſito declinare. Quo fit, ut perſpicuae ſint, integrae conſtanteſque ejus cantilenae. Ad nonum verſiculum quod attinet, id vitio Marcello datur, quod gravis vox ſolivaga digrediens, iterat quinquies aut ſexies, *e le oſſa mie logore per dolore eſulteranno*. Iſthaec repetitio nimia Xaverio videtur. Sed ego arbitror ceteris viſum iri ſecus, qui quidem perpendant & hilarem eſſe verſiculum illum, & hilaritatis repetitionem eſſe maxime propriam. Ceterum quae artes transferuntur in uſum, in iis non perinde, atque in mathematicis adamuſſim ſtatuere quis poteſt modum, ſeu certos illos fines, quos ultra citraque nequeat rectum conſiſtere.

XXXVII. Idem multo etiam minus Juſtiniani *paraphraſim* probat, eamque contendit nihil aliud fere, quam quod pedibus adſtricta eſt, ſolutae orationis eſſe diſſimilem, quod mehercules eſſet vehementer vitioſum. Speciatim vero reſpuit verſionem, quam modo attulimus, verſiculi, qui in pſalmo quinquageſimo nonus eſt, docetque eam abhorrere a more noſtro; nec enim illa Hebraeorum formula *exultabunt oſſa*, *omnia oſſa mea laetabuntur*, quicquam aliud ſonat, ſi interpretari velis, quam *exultabit cor humiliatum*. Hoc Juſtinianus ſcilicet non ignorabat, homo volutandis ſacrorum Interpretum commentariis aſſiduus, veterumque linguarum multo peritiſſimus. Verum enimvero ſatius ipſe duxit verbum de verbo exprimere, ut ne quid de vi illa, ac ſuavitate neſcio qua decerperet, qua influunt mollius in animos, eoſque deliniunt quodammodo verba Eccleſiae uſu divinarumque litterarum auctoritate conſecrata. At ſi ad verbum redditur, ea formula humile quiddam abjectumque ſonat auribus noſtris. Mihi vero videtur illa potius peregrinitatem quamdam redolere, in qua

cum

cum horum verborum, tum reliquorum vis omnis ſita eſt, quae e ſacris litteris promuntur. Itaque non eſſet utique reprehendendus, qui ad eum modum, quem Xaverius praeſcribit, verſiculum illum converteret; ſic tamen, ut ne Juſtinianus quidem reprehendatur, cui aliam inire rationem placuit, & eam ſane probabilem, atque haud ſcio, an etiam potiorem. Quod vero ait Xaverius *paraphraſim* illam totam proſae orationis affinem eſſe, mirari fortaſſe licet, qui fiat, ut in hoc genere magis, quam in aliis ſuum cuique pulchrum ſit; illud certe, quam in rebus etiam minime obſcuris atque reconditis varia inter ſe ſint & pugnantia hominum judicia. Xaverio illa eadem orationis forma pedeſtris ſcilicet videtur, quae mihi videtur ſumme poetica, & vero etiam pulcherrimis imaginibus referta, & multis luminibus ingenii & multa arte diſtincta, & quod caput eſt, illa facilitate & ingenua quadam libertate effuſa, quae pauciſſimorum eſt, & eſt ſummae ac ſincerae elegantiae quidam veluti flos. Neque vero, ſi ſecus eſſet in

ea tanta vis harmoniae potuiſſet exprimi. Nunquam id nobis ſumemus, ut judicio clariſſimi viri noſtrum antiſtare arbitremur. At non de noſtro dumtaxat ſenſu judicamus. Idipſum jampridem ſenſit Dominicus Lazzarinius, cujus judicium conſtat inter omnes quanti in hoc rerum genere fieri debeat, cui *paraphraſis* illa magno opere probata eſt, neque viſa poetica ſolum, ſed ſuo etiam in genere pulcherrima, ſummiſque laudibus digniſſima. Non igitur eam temere & parum conſiderate Marcellus delegit, in qua novum illud ſuum atque illuſtre ſpecimen cantus proferret, quidquid tandem ſibi velint verba illa Xaverii, *Benedictus Marcellus*, *qui nihil notis non veſtiebat muſicis*; quae verba interpretari quis poteſt', a Marcello, cum ad faciendos modos aggrederetur, nullum argumenti delectum haberi ſolitum. Ita ne eſſet ineptum atque perverſum judicium tanti viri? Immo vero in hac re uſque eo difficilis & moroſus fuit, ut ſuos dumtaxat verſus donare harmonia conſueverit, neque alios cujuſquam, praeterquam amici Juſtiniani aut

Dominici Lazzarinii, & ſiquid alterius ſcriptoris verſibus ſuis unquam ante tulerit. Sed plura perſequi neque hujus eſt loci, neque etiam meae facultatis. Et hoc quidquid attigi, non diſputandi cauſſa feci, nec enim cum clariſſimo & doctiſſimo viro me confero; ſed veritus ſum, ne auctoritas ejus, quae ſumma & eſt & eſſe debet, exiſtimationi officeret exemplaris in re muſica perfectiſſimi, immo (ut ipſius Xaverii verbis utar) *fortaſſe unici & vix imitabilis*. Quod quidem, contra ac ipſe vellet, arti pulcherrimae noceret vel maxime. Hac de cauſſa pauca, quae monui, haud praeteriri poſſe exiſtimavi.

OPERA EDITA

Indicem operum Marcelli, quae uſquam reperiri potuerunt, ſubjicimus. Et eſt ipſe quidem longe locupletior, quam qui a Mazzucchellio Comite productus fuit. Nihilo tamen magis integer praeſtari poteſt; debuit enim multo ante contexi, antequam ſcilicet elucubrationes Marcellianae complures, muſicae praeſertim, quas manuſcriptas reliquit, dilaberentur.

Eſtro Poetico Armonico, Parafraſi ſopra i primi XXV. Salmi, Poeſia di Girolamo Aſcanio Giuſtiniani, Muſica di Benedetto Marcello, Patrizj Veneziani. Tomi IV. In Venezia appreſſo Domenico Loviſa 1724. in fol.

Eſtro Poetico-Armonico, Parafraſi ſopra i ſecondi XXV. Salmi, Poeſia di Girolamo Aſcanio Giuſtiniani, Muſica di Benedetto Marcello, Patrizj Veneziani Tomi IV. In Venezia appreſſo Domenico Lovifa 1726. *e* 1727. *in fol.*

Non ita pridem alteram admirabilis hujus Operis editionem multo elegantiorem Venetiis aggreſſus eſt Dominicus Pompeatus. Sed haec lente admodum progreditur. Utinam ad calcem perveniant, in eamque lucubrationes Marcelli etiam minime ſacrae, & quae in vulgus non ſunt editae, ſi minus omnes, ſaltem ſeleƈtae adjiciantur ne pereant. Singulas epiſtolas clarorum hominum ad Auƈtorem datas, quae cuique ejuſdem Operis volumini praeeunt, ſingula teſtimonia puto.

A Dio Sonetti. In Venezia per Giuſeppe Loviſa 1731. *in* 12. Recuſa ſunt haec epigrammata, aliis poematis adjeƈtis argumenti moralis & ſacri, Venetiis apud Javarinam 1738. in 8. Eadem Latina fecit Dominicus Salernus Venetus, ediditque typis Pecorianis 1745. in 8.

Sonetti di Benedetto Marcello N. U. tra gli Arcadi Diatte Sacreo. In Venezia per Gio. Gabriello Hertz 1718. *in* 8. Epigrammata haec ſunt centum numero, & omnia amatoria.

Il Toſcaniſmo, o la Cruſca, o ſia il Cruſcante impazzito. Tragicomedia giocoſa e noviſſima in Venezia per Giovanni Battiſta Recurti 1739. *in* 8. Iterum lucem aſpexit Mediolani anno 1740.

Il Buffone di nuova Invenzione in Italia, o ſia i Viaggj del Vagabondo Salciccia Salisburgheſe dal Tedeſco portati nell' Italiano linguaggio, e deſcritti in ottava rima

coll' accreſcimento di più Epiſodj, Novellette, Prefazioni, Moralità, Sentenze, e ſimilitudini inſerite dal Traduttore al teſto Tedeſco, con un comento in dialogo, ec. Tradotto ed illuſtrato d' annotazioni dall' Autore del Toſcaniſmo. Canti XIII. in ottava rima. In Venezia preſſo Antonio Bortoli 1740. *in* 8.

Il Teatro alla moda, o ſia metodo ſicuro e facile per ben comporre ed eſeguire Opere Italiane in Muſica nel quale ſi danno avvertimenti utili e neceſſarj a Poeti compoſitori di Muſica, Muſici dell' uno e dell' altro ſeſſo, Impreſarj, Suonatori, Ingegneri, Pittori di ſcene, parti buffe, Sarti, Paggi, Comparſe, Suggeritori, Coriſti, Protettori, e Madri di Virtuoſa, ed altre perſone appartenenti al Teatro. Dedicato dall' Autore del libro al Compoſitore di eſſo. Stampato in Broglia di Beliſania ec. in 8. In hac ſatira, quam tum ſuo tum typographi nomine diſſimulato emiſit, lepida medius fidius, vitiiſque in theatra invectis corrigendis medendiſque aptiſſima, nimis acer ſibi ipſe viſus eſt Marcellus, maxime quod ſic ad vivum perſonas effinxerat, quas exagitat ut agnoſcerentur facile. Quare dediſſe operam fertur, ut quotquot poſſet illius exemplaria divulgata, & ſummo plauſu excepta revocaret atque ſupprimeret.

Lettera famigliare d' un Accademico Filarmonico ed Arcade diſcorſiva ſopra un libro di duetti, terzetti e madrigali a più voci ſtampato in Venezia da Antonio Bortoli 1705. Haec epiſtola, quae raro admodum occurrit, quibus typis deſcripta fuerit, mihi incompertum eſt.

Lettere. Nonnullae Marcelli epiſtolae lectu digniſſimae habentur in fronte voluminum *Paraphraſis* pſalmorum.

Rime. Praeter Italica poemata, quae ſuperius memoravimus, Benedicti Marcelli, alia complura habentur in variis libris diſperſa, e quibus ejus nomen Arcadicum praeferunt, quae carminibus inſerta ſunt in libro collectis, qui inſcribitur, *Corona Poetica in morte di S. E. Lodovico Flangini preſſo Lodovico Loviſa* 1717.

La Fede Riconoſciuta Dramma per muſica rappreſentato nel Teatro di piazza di Vicenza. In Vicenza 1707. Iterum hoc *Drama* Venetiis in typographia Milocchiana cuſum eſt, ac tertio item Venetiis 1729. ſed aliter inſcriptum, nempe *Dorinda*.

Arato in Sparta. Dramma recitato nel Teatro di S. Angelo di Venezia per Giovanni Battiſta Zuccato 1699. Iiſdem formis recuſum eſt anno inſequenti.

Giuditta, Oratorio per Muſica. In Venezia per Domenico Loviſa 1710.

Caliſto in Orſa Paſtorale a 5. voci ad uſo di ſcena; In Venezia per Domenico Loviſa 1725. *in* 4. A Leone Allaccio haec fabula Jo. Bapt. Carminato tribuitur, ſed perperam.

Canzoni Madrigaleſche, ed arie per Camera a due, a tre, a quattro voci di Benedetto Marcello Nobile Veneto, Accademico Filarmonico ed Arcade. Opera Quarta. Bologna 1717. *preſſo Giuſeppe Antonio Silvani*. Hujus operis tria priora volumina ſic interiere, ut & quo loco, & quo tempore edita fuerint, plane ignoretur.

Concerti a 5. ſtrumenti al baſſo. Opera Prima. Venezia preſſo il Sala 1701.

Digitized by Google

Sonate a 5. Flauto ſolo col Baſſo continuo. Venezia preſſo il Sala 1712.

OPERA INEDITA.

Caſſandra. Cantata a voce ſola alto.

Timoteo. Cantata a due voci alto e baſſo.

Haec duo mele, ut diximus, qua muſica, Marcelli ſunt, qua vere poetica, Antonii Pratis Comitis P. V.

Teorica Muſicale ordinata alla moderna pratica. Si tratta de' principj fondamentali del canto, e ſuono in particolare d' Organo, e il Gravicembalo, e del comporre. Opera utiliſſima tanto agli ſtudenti, quanto a' Maeſtri per il buon metodo d' inſegnarli. Tractatum hunc, ut diximus, tribuit Benedictus in partes tres, quarum tituli ſunt.

I. *Breve trattato delle Proporzioni. Nemo Geometriae ignarus ingrediatur.*

II. *Del ſiſtema Muſico. Nemo accedat niſi Geometra.*

III. *Delle Conſonanze Armoniche.* In calce haec leguntur verba auctoris manuſcripta: *Fine della preſente Opera raccolta, e ſcritta da Benedetto Marcello Nobile Veneziano* 1707. ex quo apparet, quod incredibile videri poteſt, Benedictum hoc opus confeciſſe ſingulare medius fidius & reconditae atque interioris harmonicae doctrinae plenum, anno aetatis ſuae primo & viceſimo, quippe qui anno 1678. ortus eſt.

Digitized by Google

Alcuni Avvertimenti al Veneto Giovanetto Patrizio di Benedetto Marcello, per iſtruzione del Nipote di lui Lorenzo Aleſſandro d' Aleſſandro.

Divino Verbo fatto uomo, o ſia l' Univerſale Redenzione Poema di Benedetto Marcello Patricio Veneto. Hoc poema, quod morte interceptus abſolvere non potuit Benedictus, poſt ejus obitum, ut diximus, ad Sebaſtianum Molinum devenit, poſtea hujus conceſſu ad Laurentium Alexandrum Marcellum, quem ſaepe commemoravimus.

Cantate a voce ſola del N. U. Benedetto Marcello.

14. di Soprano con ſtromenti.

36. di Soprano ſenza ſtromenti

5. di Contralto con ſtromenti.

20. di Contralto ſenza ſtromenti.

1. di Baſſo con ſtromenti.

Due Madrigali a 4. voci ſenza ſtromenti.

Diverſe ſinfonie.

Un libro di ſonate da Cembalo.

Timoteo Cantata. Idem nomen hoc praefert melos atque illud, quod ſupra commemoravimus, re tamen differt valde oppido, quippe quod aliud nihil eſſe fertur, niſi harmonia belliſſima, qua Marcellus epiſtolam quamdam donavit ſibi forte inventam ſupra cantricis neſcio cujus cymbalum, quae ei varios affectus exprimendi occaſionem dedit.

Un libro di duetti ſenza ſtrumenti. Hae lucubrationes omnes, qua poeticae qua muſicae, extant apud Carolum Taſſium Comitem. Apud Hieronymum vero Juſtinianum Equitem hae, quae ſequuntur, praeter alias nonnullas jam memoratas.

Gioaz. Oratorio con ſtromenti a 4. voci in due parti.

Pſiche. Cantata a due voci con ſtromenti.

Cantate 26. con ſtromenti a voci di Soprani, Contralti, Tenori, e Baſſi.

Duetti diverſi ſenza ſtromenti.

Un groſſo libro di Cantate a voce di Soprano e Contralto ſenza ſtromenti.

Altro libro di Cantate ſenza ſtromenti.

Altro libro pur di cantate, tutte Eroiche, ſenza ſtromenti.

Miſerere; un altro Oratorio; Salmi; Lezioni per la Settimana Santa.

Praeter has lucubrationes Joannes Marchius in ſuis commentariis de vita Marcelli, quicum intime vixit, eas recenſet, quae ſequuntur in uſum *Eccleſiaſtici cantus*.

Prime lezioni degli Officj delle Ferie quarta, quinta, e ſeſta della ſettimana Santa. Un verſetto a coro, un altro or a una or a due voci con Violoncello, e Baſſo.

Due compoſizioni diverſe ſopra il Salmo quinquageſimo e un' altra ſopra il Benedictus Dominus.

Te Deum, parte a due, o ad una voce, e parte a Coro.

Meſſe tre, dette a Cappella.

Hiſce omnibus addenda ſunt, quae ſequuntur Fantaſia Dithyrambica.

Vol. I. Vol. II. Utramque hujus poematis partem elucubravit Marcellus poſteaquam Venetiis Brixiam remigravit, miſitque ad amicum ſuum Sebaſtianum Molinum.

Corona poetica a Maria ſempre Vergine Sonetti XV.

Serenata da canterſi alla Corte di Vienna il primo d' Ottobre 1725. poeſia e muſica del N. U. Benedetto Marcello.

Tandem Tarviſii apud clariſſimum virum Jordanem Riccatum reperiuntur triginta mele diverſa a reliquis, quae jam attulimus, ac Mediolani inſuper decem apud Joſephum Marchionem de Araziel.

INDICE

A

ALlaccius Leo 300.
Amadaeus Sardiniae Rex 51.
Amphitheattum Veronenſe 79.
Areoſtus 8.
Ars critica-lapidaria 131.
Attici ſales 3.
Avogadrius Aloyſius 352.

B

BAcchinus Benedictus 106.
Baſnagius Jacobus 109.
Benedictus XIV. 126. 146. 191. 193.
Bentivolus Card. 21.
Bernius 7.
Bernardus Jeſuita 216.
Bigotius Emericus 108.
Bonarrotius Philippus 83. 95.
Bonafedius Appianus 179.
Bohourſius oppugnatus 217.
Borguetius 91.
Britanni num ad jocos apti 7.
Brixianorum nobilitas 71.

C

CArolus VI. Caeſar Imperator 223. 225. 226. 231.
Carolus Neapolis Rex 189.
Caſſiodorii Complexiones 110.
Chandlerus Samuel 111.
Cicero num jocis valuerit 5.
Clemens XI. 12. 18. 52. 184.
—— XII. 25. 190.
Concina Daniel 58.
Conſtantinianus Ordo ejus origo 48.
Conſtitutio *Unigenitus* 119.
Corſinius Cardinalis 26.
Creſcimbenius 207. 238.
Criticae artis exercendae regulae 170. e ſeg.

D

DEmpſterus 84.
Denina Carolus 1.
Dionis Caſſii interpretatio 104.
Donatus Sebaſtianus 131.

E

ETruſcorum antiquitas & monumenta 82. & ſeq. origo 85. 94. horum alphabetus 94.

F

FAbricius Albertus 105. 107. Joannes 247.
Fabronius Card. 11. 13.
Florentini quantum in jocis valeant 6.
Fontana Franciſcus 272.
Fontaninius Juſtus 22. 23. 140. 141. 235. confutatus & emendatus 245. 252.
Fortiguerra Antonius 24.
—— Nicolaus ejus ludicrum poema 8. vita 10. ſtudia 11. orationes 12. 16. 17.

honores 13. 25. carmina 14. interpretationes e Graeco 16. e Latino 23. poema inſcriptum *il Ricciardetto* 8. 20. & ſeq. mors 26. ſcripta poſthuma 27. mores 28.
Forcellinius Marcus 249.
Foſcarenius Marcus 208. 237.
Fulminum origo 60.

G

GAlianius Caeleſtinus ejus ortus & ſtudia 179. honores 184. 188. 192. ſcripta 185. mandata 187. beneficia in litteras 188. in litteratos 194. mores & mors 193. & ſeq.
Galeardus Paullus 70.
Galli quid valeant in jocis 7.
Garzonius Petrus 222.
Gaſparinius Franciſcus 282.
Giacomellius Michael Angelus 29.
Gorius Antonius 83. & ſeq.
Gozius Gaſparus 234.

H

HIſtoria litteraria quomodo tractanda 197.

I

IEſuitae 217.
Inſcriptio arcus Secuſini 51.
Innocentius *XII.* 12. 40.
S. Irenaei fragmenta 106.
Italicae linguae origo 78.
Juſtinianus Hieronymus Aſcanius 317. 361.

L

LAmius Joannes 248.
Leibnitius 224.
Leunclavius Jo. 104.
Lorenzinius Franciſcus 329.

M

MAbillonius 66. 67.
Maffejus Scipio quam meritus de hiſtoria diplomatica 34. 63. & ſeq. vita 38. nobilitas ib. carmina 39. & ſeq. ſtudia antiquitatis 44. falſas de Honorio opiniones convellit 45. & ſeq. ejus itinera 50. 112. tragoedia 52. comoediae 55. opera phyſica 59. & ſeq. hiſtorica de Verona 69. & ſeq. de amphitheatris 79. & ſeq. 115. de antiquitatibus Etruſcis 83. & ſeq. harum cauſſa diſputationes 86. & ſeq. ejus ſententia de alphabeto Etruſcorum 96. Homerum alioſque interpretatur 102. & ſeq. S. Irenaei fragmenta edit 106. Chryſoſtomi epiſtolam 108 alia canonica & liturgica 110. Gallicas antiquitates illuſtrat 112. hiſtoriam Theologicam ſcribit 117. hujus cauſſa diſputationes 119. Muſeum condit 124. explicat 126. ejus cogitationes de colligendis inſcriptionibus 129. ephemerides 139. de uſura agit 144. ejus mors 156. opera 157. & ſeq. Zeno

querimoniae dat cauſſam 216.
Maggius Carolus quid valeat in poeſi 43.
Magica ars confutata 149.
Manutii horum hiſtoria 137.
Manfredius Euſtachius 22. 181.
Marcellus Benedictus ejus ortus & ſtudia 272. & ſeq. principio a muſica averſus 274. quomodo ei ſe dederit 276. Florentiam contendit 279. quomodo muſicae vocali conſuluerit 281. hujus inſtitutiones ſcribit 284. poeſim excolit 286. ejus munera 286. 287. carmina 289. & ſeq. muſica opera 302. & ſeq. in jocoſam muſicam nihil admodum propenſus 307. muſicae praecepta quam facile daret 313. opus ejus maximum de pſalmis 317. ejus converſio 334. 337. pietas 347. & ſeq. alia ejus muſica opera Deo ſacrata 343. mors 352. funebres honores 354. quam jure dictus muſicae princeps 356. & ſeq. opera edita 371.
Mollus Gaſparus 169.
Matthaejus Xaverius 363. & ſeq.
Matteſonius Jo. 330. 331.
Metaſtaſius Petrus 235.
Merope tragoedia 53 123.
Muratorius Ludovicus 49. 114. 216. 230. 235.

O

Octobonius Cardinalis 329. 359.
Ottonellius Julius 213.

P

Papyra ubi exiſtant 37. ubi conficerentur 64.
Paſſerius 92. 93. 97 100.
Petroſellinius Dominicus Octavius 22.
Pfaſius Chriſtophorus 106.

R

Ricciardetto poema 8. 10. & ſeq.
Ridiculi fontes 1.
Romana lingua num jocis apta 3.
Roncalienſes epiſtolae 100.
Rythmici verſus 66. 67.

S

Seguierius 139. 143.

T

Tartarotti 152.
Tirabofchius Hieronymus 196.
Torellius Joſephus 32. 139.
Tragoediae nobiliores 57.
Turnelinius Jeſuita 157.

V

Valiſnerius Antonius 60.
Valſechius Antoninus 248. 253.
Venetiarum dignitas & magnitudo 73.
Veronenſium nobilitas 69. & ſeq. origo 73. 82.
Voltairius 54.

Digitized by Google

Uſura de ea opiniones 146.
Urſius Joſephus 205. 217.
Vulpius Jo. Antonius 70. 72.

X

Xylandrus Guilelmus 104.

Z

Zenus Apoſtolus 33. 49. 153. ejus merita in hiſtoriam litterariam. 197. 245. vita 200. ſtudia 201. poemata quaedam 202. dramata 203. & ſeq. 226. 233. hiſtoriam Venetam illuſtrare conatur 206. de Italis poetis ſcribere aggreditur 207. 208. alia ejus opera 210. & ſeq. quam de Etruſca lingua meritus ſit 213. ephemerides Italicas conficit 214. 239 moleſtiae harum cauſſa 216. hiſtoricorum Venetorum vitas exponit 220. Poeta Caeſareus declaratur 223. diplomata colligit 230 numiſmata 241. libros 243. Davilae & Guicciardinii vitas exponit 236. Fontaninium confutat & corrigit 244. Voſſium 246. ejus mores 251. & ſeq. mors 253. opera 267.
Zirardinius Antonius 36.
Zondedarius Antonius Felix 12.
Zorzius Jo. 315.

ERRATA			CORRIGE
pag.	lin.		
VII.	1.	non ſecus ac	quemadmodum
5.	5.	iperbolas	hyperbolas
26.	17.	erat	eſſet
81.	3.	pietatem	amorem
ibid.	9.	haſtata	haſtatorum
103.	3.	Aeneadum	Aeneidos
112.	1.	furat	fuerat
116.	23.	ne omnes habeat	ne omnes non habeat
141.	11.	illum	ſe illum
148.	16.	dyptico	diptycho
156.	3.	aſthemate	aſthmate
173.	9.	ſit	*adde* quam
175.	1.	nomine	*adde* eos
177.	13.	aſſentatione	*adde* illos
237.	23.	ſpectandiſſimo	ſpectatiſſimo
254.	6.	Georgiae	Gorgiae
289.	3.	poeſos	poeſeos
304.	13.	exordia	exodia

VA1
1551212

Digitized by Google

148.
7.
52.

Digitized by Google